DE AREOPAGITICIS HILDUINI IUDICIUM. AUCTORE IOANNE DELAUNOY...

Jean : de Launoy



M



DE AREOPAGITICIS HILDVINI IVDICIVM.

Auctore IOANNE DE LAVNOY *Constantiensi Theologo Parisiensi.*



LVTETIÆ PARISIORVM.

M. DC. XLI.

S. Paulus 1. ad Thessalonicenses 5.

Omnia probate, quod bonum est, tenete.

B. Augustinus de vera Religione, cap. 45.

Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris, melius est enim qualecumque verum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi potest. Et post alia.

Melior est vera stipula, quàm lux inani cogi- cogitatione pro suspicantis voluntate formata.



DE AREOPAGITICIS Hilduini iudicium.



CVM primis iam tum ferè Ecclesiæ temporibus sua quidam somnia, & incertas Sanctorum memorias pro veris venditarint, nemo prudens ignorat, quantus in disquirendo labor, quantum in discernendo iudicium, quanta demum in asserendo debeat esse fides illius, qui in recensendis, aut vindicandis Sanctorum agonibus occupatur. Etenim si labor in disquirendo desit, aliorum lucubrationes quibusdam immutatis vocibus, sed inerudito plagio transscribentur; si iudicium in discernendo, hinc alia inter se pugnantia, inde multa inconsideratè ab aliis dicta rursus dicentur; si fides in asserendo, pleraque falsa pro veris asserta ingenti partium studio nouæ memoriæ prodentur. Quod scribendi temerarium genus olim damnarunt Africani Patres can. 84. codicis sui. 1.

Omninò nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi vbi corpus, aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo alicuius habitationis

vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasdã reuelationes quorumlibet hominum vbicumque constituuntur, omni modo reprobentur. Fecit quoque Gallicanæ quondam Ecclesiæ temporum necessitas, vt Præsules nostri hunc Africanum Canonem renouarint, suumque habuerint apud Carolum Magnum libro 1. Capitul. cap. 42. *In Africano Concilio vt falsa nomina martyrum, & incerta Sanctorum memoriæ non venerentur.*

2. Hanc igitur ἐθελοθρησκείαν Ecclesia, quæ ad sui commendationem hominum mendacio non eget, semper, vt apparet, detestata est, hodiéque detestatur, dum quæ diuersarum Ecclesiarum Officia, vt vocant, quorũdam imperitia vel imprudens pietas deprauauerat, corriguntur, & ab incertis narrationibus identidem expurgantur. Quare vehementer errant, qui similium narrationum & historiarum vadem aliquando faciunt Ecclesiam, contra ipsiusmet Ecclesiæ voluntatẽ, & qui pro Traditionibus obtrudunt, quæ veris aliquando carent Traditionum notis. Quo genere imprudentiæ, si quid intelligas, nihil esse potest in Ecclesia Dei periculosius. Sed ô procul id genus homines φίλαυτοι, φιλόκαινοι, & φιλόμυθοι

qui malunt virginitatem ac pudicitiam Ecclesiæ, quàm opiniones suas & commenta sollicitari. Porrò verò hac eiusmodi præfationis cautione munienda nobis necessariò via fuit ad iudicium, quod de Hilduini Areopagiticis ferimus.

Quæ ergò in Areopagiticis Hilduini 3. tractantur, ad duo rerum capita reuocamus; vnum id est, quod ab aliis antiquioribus assertum auctoribus commemorat; alterum, quod ipse suopte ingenii acumine disserit. Cum autem & ab Hilduino iam tùm primùm certò affirmatum constet, eundem esse Dionysium Parisiensem cum Areopagita, & ab aliis antiquam retinentibus traditionem contrà tunc negatum, faciunt ista sanè partium studia, vt quæ ea super re scripsit Hilduinus, non æquè recipiantur in auctoritatem, atque reciperentur, si ante exortam controuersiam scripsisset. Quoties Latini cũ Græcis quingentis abhinc annis decertarunt, non alios auctores in controuersæ quæstionis decisionem adduxerunt, nisi qui ante exortum schisma scripsêre. Verum vt nihil indelibatum quicquam, ac non discussum relinquatur, & quæ ab aliis dicta recenset, & quæ proprio marte disputat, expendemus.

4\. Ad primum autem caput quod attinet, duo quoque sunt genera rerum, quas ab aliis memoriæ proditas tradit Hilduinus, earum alterum reperitur, alterum qualibet disquisitione facta non reperitur. In eo quod reperitur & legi potest, cum reperiatur falsitas; in ceteris, quæ non reperiūtur, fidem opinor nullam meretur Hilduinus, cum mendaci nec vera etiam dicenti credatur. Triplex falsæ allegationis specimen damus, ex quo quid de Areopagitici hominis sinceritate iudices in posterum, ostenditur.

5\. Primum quidem ex Areopagiticis num. 3. *Genere quidem nobilißimum & magisterio Philosophiæ insignem apud Athenas claruisse & aliarum Historiarum, & Actuum Apostolorum testimonio sæcula prisca, seu instantia cognouerunt.*

Secundū ex iisdem num. 11. *De qua ordinatione Apostolus* (totius Galliæ) *nisi ad alia se intentio nostra dirigeret, & ex Apostolorum Actibus, & ex ipsius Domini actione autoritatis exemplum sufficienter in his scriptis possemus inferre.* Age verò illa videamus quæ in Actibus Apostolicis recensentur cap. 17. *Quidam verò*, inquit Lucas, *Viri ei* (Paulo) *adhærentes crediderunt, in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii*

cum eis. In hoc Actorum loco, & in Euangeliis, quibus actiones Christi continentur, Dionysium Areopagitam fuisse & genere nobilem, & magisterio Philosophiæ apud Athenas claruisse, & Apostolatum totius Galliæ obtinuisse, quis legit, aut leget vnquam, nisi forsan aliquando ex Hilduiniana prodeant officina?

Tertium verò ex subiecta Areopagiticis Epistola ad cunctos Catholicæ Ecclesiæ fideles: *Abiecta*, inquit, *omni ambiguitate quod iste ipse Dionysius, cuius hîc gesta scribuntur, non sit Areopagites & Athenarum Episcopus, quidquisque dixerit, veluti de antumatione Gregorii Turonensis Episcopi, & subreptione Bedæ sancti Presbyteri, atque aliorum quoruncumque sine auctoritate iactatur, qui curiosiùs hoc scire voluerit, vt de multis quædam designemus ex nomine, Eusebii Cæsariensis Historiam perquirat & relegat.* Morem geramus Hilduino: Eusebius de Dionysio Areopagita loquitur duobus tantùm historiæ locis, quæ vt cum dictis Hilduini conferantur, recensemus, primum quidem lib 3. cap. 4. *Adde his Areopagitam illum Dionysium nomine, quē in Actis Apostolorum post Pauli concionem in Areopago apud Athenienses habitam, ad fidem conuersum fuisse* 6.

Lucas in actis Apostolorum scribit, quemque primum Ecclesiæ Atheniensis Episcopum designatum alius quidam Dionysius Ecclesiæ Corinthiorum pastor narrat. Alterum lib. 4. cap. 22. vbi quid in Epistolis Dionysii Corinthiorum Episcopi continetur, explicat Eusebius: *In eadem,* inquit, *designat Epistola* (ad Athenienses), *quod Dionysius Areopagites, qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo secundum ea, quæ in Actibus Apostolorum designatur, primus apud Athenas ab eodem Apostolo Episcopus fuerit ordinatus.* Lege ergo & relege Eusebii historiam & Dionysium Parisiensem eundem esse cum Areopagita ex Eusebio, mendaciter dictum ab Hilduino videbis. Hæc sufficiant ad specimen auctorum, qui ab Hilduino citati reperiuntur.

7. Quæ verò non reperiuntur, ea certè sunt, quæ ex Visbio, Aristarcho, & Missalibus libris *continentibus Missæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei vsu in hac Occidentali plaga est habitus vsquequo tenorem, quo nunc vtitur, Romanum susceperit.* Sed in istis quæ Hilduino fides? vnde miramur in primis, quî factum, vt quæ sibi ex Gregorio Turonensi & Beda Hilduinus obiicit, reperiantur, quæ verò aliis ex Visbio, Aristarcho,

& Missalibus libris opponit, non reperiantur : sed magis miramur, quod *Missales illos libros* non viderint Beda & Gregorius, qui, ni fallimur, non Arabico vel Persico, sed Gallico more Missarum solemnia celebrauit, aut quod si viderint, ex iis hic sancti Saturnini historiam, ille suos commentarios non emendarit. Solus igitur Hilduinus & Visbium, & Aristarchum, & Missales libros vidit, qui docent primum Parisiorum Episcopum fuisse Dionysium Areopagitam, cum nec qui Hilduinum præcesserint, nec qui secuti fuerint, hos vnquam legerint auctores præterquam apud eundem Hilduinum, & recentiorem auctorem, qui per singulos veteres Aristarchos cum actuosissimus iret, acutissimè tãdem suo iudicio conclusit, eum Hilduini Aristarchum esse potuisse Thessalonicensem Pauli comitem, *nisi sub Nerone passus esset*, sed esse Aristarchum Apameæ Episcopum, *quia nihil repugnat*. Bellè omninò.
Quod autem spectat ad secundum caput, 8.
ad ea nempe, quæ proprio marte disputat hic vindex Areopagiticus, liquet illum argumento vindiciarum suarum persuasum fuisse, aut illo saltem alios persuasos voluisse. Quod vltrò concedimus. Enim-

uerò cum in iſtis Areopagiticis pleraque parum conſideratè dicta Hilduini cauſam iugulent, illorum quoque ſpecimina quædam dabimus, ex quibus quid perſuaderi poſſit, iudicium erit.

9. Primum ex Epiſtola ad Ludouicum Imperatorem, vbi ſuam de Areopagita ſententiam *in Tomis vel Chartis vetuſtiſsimis armarij Pariſiacæ Eccleſiæ*, & in Epiſtola ad fideles, vbi eandem *in monimentis Archiui Eccleſiæ ſancti Dionyſij* contineri profitetur. At hîc imponit Hilduinus & Monaſterio ſuo, & Pariſienſi Eccleſiæ; Monaſterio quidem ſuo, cum quo reuera Martyrologio quondam vtebatur, duos agnoſcebat Dionyſios, quorum alterum cum ſancti Piati comitem faciat, ille non potuit eſſe Areopagita. Verba Martyrogij ſunt iſta in Sanctilogio Guidonis Abbatis ſancti Dionyſij lib. 10. Prima die Octobris. *Ciuitate Tornaco ſancti Piati vel Piatonis Presbyteri, qui cum B. Dionyſio Epiſcopo, eiuſque Sociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit, ac poſtea conſummato martyrio migrauit ad Dominum.* Tertia die Octobris. *Natalis B. Dionyſij Epiſcopi & martyris, qui poſt clariſsimam confeſsionem fidei, poſt grauiſsima tormentorum*

rum

vum genera glorioso martyrio coronatus est, vt testatur Aristides vir fide sapientiaque mirabilis in eo opere, quod de Christiana religione composuit. 7. Idus Octobris. *Apud Parisium natalis Sanctorum Martyrum Dionysii,* &c. *Qui B. Episcopus à Pontifice Romano in Galliam prædicandi gratia directus præfatum vrbem deuenit, vbi per aliquot annos commissum sibi opus ardenter persequens tandem à Præfecto Fescennino vna cum sociis gladio animaduersus martyrium compleuit.* Porrò autem habes in Bibliotheca sancti Victoris istud martyrologium, seu Sanctilogium Commentariis Guidonis non tam illustratum aliquando, quàm obscuratum. Atque vt de ceteris taceam, hîc vbi Martyrologii vetustas debuit obruere nouitatem Commentatoris, nouitas Commentatoris conata est obruere Martyrologii vetustatem.

Imponit verò Parisiensi Ecclesiæ, cum 10
quibus omni retrò ætate Martyrologiis
vsa est, & aliæ ex eadem tàmquam ex ma-
tre prognatæ Parisienses Ecclesiæ, sancti
Victoris, & sancti Sepulchri duos cum
eodem Monasterio, & iisdem penitus ver-
bis Dionysios colant. Duo vidimus anti-
qua Ecclesiæ Parisiensis Martyrologia,

quorum recentius anno 1448. exaratum est,eoque etiamnum eadem vtitur Ecclesia,vnum præterea sancti Victoris,& alterum sancti Sepulchri. In quibus omnibus Piatus seu Piato sancti Dionysii Episcopi comes asseritur prima die Octobris. At verò quo tempore sanctus Piato passus sit, docet Fulbertus Carnotensis in Hymno de eodem: *Tornacum versus Piatus se direxit inclytus, cum Parisius iret B. Dionysius*. Infra. *Cæsar Maximianus, vt Piati hausit famam virulentis auribus, comprehendi iussit eum ad necandum protinus.* Vnde in Manualium Carnotensium Calendariis duo diuersi Dionysii, vnus 5. Non Octob. *Dionysii Episcopi & Mart.* 3. *Lect.* alter 7. Idus. *Dionysii, Rustici,& Eleutherii Mart. Duplex*, constantissimè perseuerarunt ad annum vsque 1627. quo primus Christi miles expunctus est. Hanc quoque testatur epocham manuscriptum, quod extat in nostræ Nauarræ Basilica, Lectionarium Paris. ad 17. Sept. de S. Audomaro lect. 6. ex eiusdem vita. *Prædictus igitur Teruanensis populus,licet ante aduentum B. Audomari à Sociis Dionysii & Martyribus Fusciano, & Victorico verbum audiisset Diuinum eodem tempore, quo sanctus*

Quintinus in Ambianensi prædicabat vrbe. Ad decimum verò Decembris, Parisiense Breuiarium anno 1545. editum omnia cõcludit. *Tẽpore quo Maximianus Galliæ præsidebat, &c. SS. Viri Fuscianus & Victoricus cũ duodenario numero sociorũ pari ordine glomerati, vna cum venerabili Quintino, ac comitibus ceteris Piatone Rufino, Valerio, Eugenio, Crispino, Crispiniano, Luciano, Marcello & Regulo &c.* Et quanquam Fusciani & Victorici historia hîc aliquid passa est mutationis quoad Dionysium, qui tempore Hilduini in eadem numeraretur, non Eugenius; quæ nunc tamen quæritur epocha, Areopagiticorũ vngues hactenus euasit in Paris. Ecclesia. Hæc autem cum ita sint, aut Hilduinus imponit & Monasterio suo, & Parisiensi Ecclesiæ, aut Monasterium & Ecclesia Paris. à traditione Hilduini defecerunt, aut quid tanto tempore, tamque publica recitatione quotannis agerent, ignorarunt, vel ignorare se dissimularunt. In vno perit fides Hilduini, si tamen, quod iam periit, iterum perire possit, in altero labor, cum explosa nouitate, quam tantis viribus astruxerat, & Parisiis Ecclesia & Monasterium S. Dionysii retinuerint antiquitatem, in tertio Monachis & Parisiensi Clero nullis delenda manibus labes affricatur.

11. Secundum ex num. 5. vbi tradit antiquissimum extare libellum, quo proditur *Dionysius à B. Clemente in Gallorũ gentem directus.* Sed quod falsum est, idque alij probarunt, verum modò concedamus. Sit igitur Dionysius à B. Clemente in Galliam missus, quid tum? Eritne continuò Areopagita, quem B. Paulus primum Athenarum Episcopum constituit? Hîc profectò nisi Hilduinum, & alios Hilduini fautores occupasset ista nobilis ἀσυλλογιστία, dum disputant, & priscæ traditioni contradicunt, totos octingentos annos argumento vacui præterissent.

12. Tertium ex num. 6. *Videtur porrò in his Missarum obsecrationibus non contemnenda auctoritas de memorata passione Sanctorum, cum extent apud nos* Epistolæ *Innocentii, & post eum Gelasii, nec non & modernius Beati Papæ Gregorii, aliorumque Pontificum ad Episcopos Vrbium Galliarum, & Antistitum nostrorum ad ipsos, de more Romano in cunctis Ecclesiasticæ auctoritatis muniis imitando, quibus datur intelligi, ab annis pluribus hunc Missæ tenorem de Gallica consuetudine recessisse, & hanc passionis Martyrum illorum memoriam longo superiori tempore his Occidentalibus partibus per supplicationum postulationes inoleuisse: quibus tantò certiùs fidem accomo-*

damus, quantò in tempore vicino post consummationem eorum easdem fuisse compositas sine dubitatione concredimus.

Duo hîc asserit Hilduinus, vnde multiplicem falsitatem & inconsiderantiam arguimus, vnum, quod Innocentius, Gelasius, & Gregorius ad Galliarum Episcopos scripserint literas, quibus Ecclesiæ Romanæ Vsum & Ordinem in Missarum obsecrationibus recipi iuberent. At in horum trium Romanorum Pontificum Epistolis ne vllum quidem huiuscè rei vestigium apparet. Vnum aliquid vni affingere Pontifici, ferendum esset in Hilduino, cuius fidem iam confiximus, sed tribus Pontificibus id quod falsum est, affingere, quis patienter sustineret? Alterum, quod vbi receptus est in Ecclesiasticis Galliæ ritibus & officiis Ordo Romanus, statim antiquissimum apud Gallos Antistites Missarum officium in desuetudinem abiit, atque illo insueto nouoque ordine ex animis hominum excidit missi à Clemente Areopagitæ memoria, quæ in eiusmodi Missarum officiis contineretur. Sic fumum orbi vendit Hilduinus, & in retinenda Dionysii Areopagitæ Galliarum Apostoli memoria supinæ omninò socordiæ Gallicanos præsules accusat.

13. Ceterum quod spectat ad ordinem Romanum, de quo loquitur Hilduinus, certissimè constat, Romana in Ecclesia Dionysium Parisiensem fuisse semper ab Areopagita distinctum ad annum vsque 1550. quod breuiter ostendimus.

1. Ex Rom. Martyrologio, quod Ado Viennensis Hilduino coæuus *venerabile & perantiquũ* appellat, vbi sic legitur. 5. Non. Oct. *Athenis Dionysii Areopagitæ diuersis tormentis passi &c.* 7. Idus. *Parisius Dionysii Episcopi cum Sociis suis à Fescennino gladio animaduersi.*

2. Ex altero Martyrologio, quod *secundum morem Romanæ Ecclesiæ* Venetiis prodiit anno 1548. Calend. Octob. *Tornaci sancti Piatonis Presbyteri & Martyris, qui cum B. Dionysio Episcopo suisque sociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis causa expetiit &c.* 5. Non. *Natale sancti Dionysii Episcopi & Martyris, qui post clarissimam Confessionem fidei, post grauissima tormentorum genera glorioso martyrio coronatus est; vt testatur Aristides Atheniensis vir sapientia mirabilis in eo opere, quod de Christiana religione composuit.* 7. Idus *Lutetiæ Parisiorum natale Sanctorũ Martyrum Dionysii Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherii Diaconi. Qui B. Episcopus à Pontifice Rom.*

in Galliam prædicandi gratia directus ad præfatam Vrbem deuenit, Vbi per aliquot annos commissum sibi ardenter opus prosequens tamen à Præfecto Fescennino Vna cum sociis gladio animaduersus martyrium compleuit.

3. Ex Missali Romano, quod anno 1550. Pauli III. autoritate impressum est Lugduni, in quo non ex Actuum Apostolorum cap. 17. sed ex cap. 10. Sapientiæ desumitur Lectio: *Reddet Deus mercedem laborum*, & Euangelium ex cap. 11. Matth. *Respondens Iesus dixit, confiteor.*

4. Ex Breuiario Romano, quod anno 1529. & 1543. parisiis editũ est. Vbi sic habetur nono Octob. *Lectio. Apud Parisium natale sanctorum Martyrum Dionysii Episcopi, Eleutherij Presbyteri, & Rustici Diaconi; qui B. Episcopus à Pontifice Romano in Galiias directus, Vt prædicationis opera populis à Christi fide alienis exhiberet, tandem in Parisiorum ciuitatem deuenit, & per aliquot annos sanctũ opus fideliter & ardenter executus à Præfecto Fescennio Sisinnio comprehensus, & cum illo sanctus Presbyter Eleutherius, & Rusticus Diaconus gladio animaduersi martyrium compleuerunt.*

Tria hic notamus vnum, nullum tertio 14. Octobris die de Dionysio Areopagita

fieri mentionem, sicut in vnaquaque Ecclesia illiusque cursu non omnium Sanctorum distincta fit commemoratio. Alterum nono Octobris simplicem tantùm, vt aiunt, Dionysij Parisiensis memoriam haberi, cuius vnica Lectio ex Adonis Martyrologio ad verbum deprōpta est. Qua in re vt olim Ado cum Ecclesiæ Romanæ Martyrologio conueniebat, ita & post eadem Ecclesia cum eodem Adone in anniuersario Dionysij Parisiensis officio conuenire decreuit, illaq; conueniret adhuc, nisi ex vna parte Quinognius in correctione Rom. Breuiarij, abrogata maiorum traditione, aliam ex vanis Hilduini opinionibus Lectionem indidisset, & ex alia in editione Romani Martyrologii Dionysiū Parisiensem & Areopagitam, qui hactenus fuerant in eo distincti, Galesinius in vnum cōfudisset, & Calend. Octob. in S. Piatone idem, alius-ue in Quintinum mutasset Dionysium Episcopum, qui cum Piatoni iungeretur antea, seipsum, vt cetera omittam, ab Areopagita euidentissimè discernebat. Sed reuera nihil aliud ratio pietatis admittebat, quàm vt omnia, quæ fide à patribus per certam traditionem suscepta essent, eadem fide filiis consignarentur.

Tertium

Tertium, nullum nos momentum ex hoc vel alio Breuiario duxisse vnquam, nisi cum antiquis Martyrologiis, & exploratis traditionibus cõcordasset, cum non ignoremus ex Breuiariis, quæ centum abhinc annis toties à tot diuersis, diuersarumque opinionum hominibus reconcinnata fuerunt, nullum efficax argumentũ duci posse. Sed his Ecclesiasticis Officiis vbi coniunguntur vetera martyrologia, & suis explorata legibus traditio, tunc ex illis ineluctabilium rationum momenta ducuntur. Cum ergo queritur Hilduinus id ab Romanis Pontificibus factum, quo Dionysij Areopagitæ vt Parisiensis Episcopi memoria pridem perierat in Gallia, si verum dicit, cur Quinognius & alij retentam ante & post Hilduinum Ecclesiæ Romanæ traditionem & vsum mutarunt? sin falsum; sibi suæque opinioni per summam imprudentiam officit. Nos ex primo magnam Hilduino gratiam habemus, quod tres Romanos Pontifices causæ nostræ patronos offerat, ex altero gratulamur, quod asserendæ veritatis ergo mentita sit iniquitas sibi.

Quartum ex num. 7. *Nec mirari quis poterit, cur hymnum sancti Eugenij Toletani de* 15.

B. Dionysio habeamus, & vicinorum sapientium scriptis exceptis paucis (visbio fortè) *videamur carere, cum & hæc, quæ habemus, vt exorata priorum nostrorum venia dicamus, abdita & negligenter relicta reperimus.* In his duo aduertenda sunt, primum est hymnus sancti Eugenii Toletani de B. Dionysio; alterum, quod ingenuè tandem fateatur, se post octingentos & amplius annos non habere, vnde nouam traditionem consequentibus sæculis transmittendam adornet, (Dionysium, scilicet Areopagitam prænomine Ionicum, agnomine Macarium, relicta Atheniensium Cathedra, in qua ab Apostolo Paulo constitutus fuerat, Petrum & eundem Paulum visendi causa venisse Romam, & à Clemente perhonorificam in Gallias, imo & in alias Occidentis partes legationem suscepisse, & Lutetiæ Parisiorum, quæ tum regia sedes, & Germanorum Gallorumque conuentu celebris erat, sedem fixisse) sed hoc vel vnicum si quis obseruet, Hilduinum violatæ traditionis reum aget, & omnem Areopagiticis abiudicabit auctoritatem.

16. Quod autem pertinet ad Eugenii Toletani hymnum, nec hymni verba refert Hilduinus, nec qualis ille fuerit Eugenius,

Confeſſor-ne, an Martyr, Diſcipulus Areopagitæ, nec ne? aut quo tempore vixerit? non explicat, ſed explicant Hilduini ſectatores. Quod non explicet, nondum illud eſſe fictum & excogitatum, ſignum eſt. Quod hymnum non proferat in lucem, occultandæ ſecuriùs fraudis cauſa fecit, ne videlicet partus ſuppoſitio deprehenderetur. Quod Monachi ſancti Dionyſii poſtea ex armario ſuo protulerint, fecit inerudita promouendæ opinionis Hilduini cupiditas, qua malè cõſutæ technæ accerſuntur, & quid B. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. de Offic. Eccleſiaſt. cap. 6. aſſerat, ignoraſſe ſe perſpicuè demonſtant: *ſunt autem,* inquit, *diuini hymni, ſunt & ingenio humano compoſiti: Hilarius autem Gallus Epiſcopus Pictauienſis eloquentia conſpicuus, hymnorum carmine floruit primus, poſt quem Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus vir magnæ gloriæ in Chriſto, & clariſſimus doctor in Eccleſia, copioſus in huiuſmodi carmine claruiſſe cognoſcitur, atque inde hymni ex eius nomine Ambroſiani vocantur, quia eius tempore primùm in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt, cuius celebritatis deuotio poſthac per totius Occidentis Eccleſias obſeruatur.*


Monachorum ergo ſancti Dionyſii poſt 17.

exceſſum Ludouici Pij de Eugenio ſomnium iſtud eſt, quod ex Codice M. S. beati Remigii Remenſis aliàs excerpſimus: Dionyſius Areopagita Roma diſcedit in Gallias, Romanum ciuem ſecum adducit Eugenium, antiſtitem à ſe creatum in Hiſpanias ablegat Toletum. Hîc Eugenius fundat Eccleſiam, populos ad fidem Chriſti conuertit, Toletanam Eccleſiam dedicat in honorem B. Stephani Protomartyris, epicum poema 14. verſibus conſtans ſcribit in gratiam eorum, quibus Chriſtianum nomen arridebat, tum vbi Eccleſiam ſuam idoneo Clericorum numero inſtruxit, Lutetiam redit Magiſtrum viſurus. Cũ haud procul ab vrbe peruenit ad locũ nomine Diogilum, ab incolis Dionyſii mortem accipit, & eueſtigio conficit hymnum, quem modò produnt; hoc hilarè decantato, ſoluitur in lacrymas, hinc ex eo ſeſe & alios flentes ſolatur, quòd Dionyſius cælo receptus ſit, Euangelii ſementem huc atque illuc ſpargit: quo comperto ab lictoribus capitur, & à Feſcennino interimi iubetur. Hæc eſt ſumma vitæ, quam Eugenio appinxerunt.

20 Quibus autem partibus compactum ſit Sandionyſiacum hoc ſomnium, & quid in

eo veri sit, & quid falsi, operæpretium est aperire. Sed vt inditum vero falsum agnoscatur commodiùs, quod verum est, antè narrari oportet.

Traditio igitur est omnibus retrò sæculis, in Occidente, in Gallia præsertim, & Parisiensibus Ecclesiis, Eugenium quendam olim fuisse, qui non lōgè à Lutetia pro Christi nomine gloriosum Martyrium fecit. Testatur hoc in primis vetustius Vsuardo Martyrologium, quod in antiqua sancti Martini de Campis Bibliotheca vidimus, ad 17. Calend. Decembris: *ipso die natalis sancti Eugenij, qui apud pagum Parisiensem consummato Martyrij cursu beatæ passionis coronam percepit à Domino*: Testantur alia Martyrologia Vsuardi, Parisiensis Ecclesiæ, sancti Victoris, sancti Sepulchri, sancti Martini Turonensis, sancti Crispini Maioris, sancti Petri Suessionensis, sancti Dionisii (quod adhuc mireris) in Francia apud Guidonem Abbatem in Sanctilogio: testatur Martyrologium Rotomagi editum anno 1507. & ad quatuor exemplaria Lugduni, Papiæ, & Parisiis excusa recensitum *ad vsum Romanæ Ecclesiæ, & ceterarum Ecclesiarum, quæ per orbem dispersæ sunt.* Testatur denique ad annum vsque 1548. Venetiis impressum Martyrologium iuxta



morem Romanæ Ecclesiæ. quibus in omnibus hæc verba disertè leguntur: ad 17. Calend. Decembris: *ipso die sancti Eugenij, qui apud Parisiensem pagum consummato Martyrij agone beatæ passionis coronam percepit à Domino.* His Martyrologiis accedunt Parisiensis Ecclesiæ Missalium, Antiphonaliũ, & Breuiariorum Calendaria, & habitæ in Officio ad diem 15. Nouembris orationes. Quibus etiam in omnibus cùm Manuscriptis, tum impressis anno 1528. 1545. & quibusdam aliis consequentibus non habetur, nisi pro Martyre, qui Episcopus non est. Atque id inter alia indicat hęc oratio cõmunis; *Præsta, quæsumus omnipotens Deus, vt qui B. Eugenij Martyris tui natalitia colimus, &c.* Itaque si dubium nullum est, quin hæc prima, eaque tam constans traditio veritate nitatur, quod huic dissonum adiectum est postea, falsum esse quis negaret?

21. Enimuerò istud alterum nunc exponendum sic est, vt quemadmodum nouitia Monachorum sancti Dionysii opinio non repentè, sed sensim in quorundam hominum mentes & libros irrepsit, ita & omnes sua istud cognitione assequantur.

Primus huic opinioni faciles aures accommodauit Gerardus Abbas Broniensis

sub annum 920. cuius rei historiam ita scripsit Monachus quidam apud Surium 3. Octobris: Per visum à B. Petro monetur Gerardus, vt Monasterium extruat, illucque inferat reliquias Eugenii Martyris: Petro respondet Gerardus nihil prorsus esse, cur tanti Martyris corpore potiturum se speret; at verò istud posse fieri confirmat Petrus. Non multò post Berengarius Comes ad Robertum Galliæ Regem ablegat Gerardum; dat se viæ Gerardus, inter eundem ad Monasterium sancti Dionisii diuertit, Lucernario interest, atque vbi factam de Eugenio commemorationem audiit, animo pendere cœpit, sit ne ille Eugenius, quem nuper habuerat in viso? Ceterum de Eugenio ex illustrioribus contatur Monachis? Respondent: *Ignorasne, Pater Venerande, hunc Eugenium Toletanum fuisse Episcopum, auditorem quoque Patroni nostri eiusque collegam in spargendo apud infideles Verbi cælestis semine.* Hoc audito, Martyris efflagitat reliquias, seque breui relaturum par pari spondet: nihil tamen consecutus, rem ad aliud tempus remittit. Cur verò nō consecutus, fuit cum primis, quod in Monasterio multa miracula patraret. Gerardus vbi reuersus est, vt fieret mo-

nachus apud ſanctum Dionyſium à Berengario & Leodienſium præſule veniam petit & obtinet. Fit ergo monachus, & quæ ſui iuris erant in Lotharingia, Monaſterio concedit. Literas addiſcit & Sacerdos ille creatur, quem antea Patrem venerandum appellarant. Hinc aliquanto poſt tempore, nactus opportunitatem Eugenii reliquias poſtulat, & ſuum Fratribus viſum exponit, quo vt Monaſterium in honorem Petri & Eugenii ædificaret, monitus olim fuerat, tum difficiles ſeſe Monachi præbere, Gerardum ab hoc conſilio deterrere, & multa cauſari, cur ſacras Eugenii exuuias dare non poſſent, ſed tandem, aliquando conſentire Gerardi votis, *quem petis*, inquiunt, *beatiſsimum Eugenium ſponte damus*. Hoc pignus cum accepit, Monaſterio & vicinia clam ſe ſubducit, nequid ab indigenis moleſtię patiatur, in Bronienſem Eccleſiam Martyris reliquias infert: cultum illius prohibens Leodienſis antiſtes diuinitus punitur: ſed agnita dehinc culpa feſtũ Martyris inſtituit, & amotis clericis Monachos in Bronienſem Eccleſiam inducit, eoſque ab omni obſonio, quod loci Epiſcopo ſoluebatur, immunes reddit, & ſynodico decreto hæc omnia confirmat.

Hæc

Hæc ibi, quæ à quibusdam recentioribus Areopagiticis æstimantur auro carius. Sed vt verum fatear, mihi non sunt tanti, quia hæ merces ex eorum, qui sub Hilduino tyrocinium posuere, officina prodeunt. Quanti tamen sint pretii ad Areopagitam Lutetiæ, & Eugenium Toleto vindicandum iudicent veteris monetæ spectatores?

Secundus, cui sub annum 1148. suam historiam Monachi nostri fecerunt plausibilem, fuit Remundus Toleti Episcopus, vt auctor est Lucius Marineus apud Mosandrum ad 15. Nouembris. *Remundus olim, inquit, Toletanæ sedis antistes ad Concilium apud Remos Galliæ populos celebrandum temporibus Eugenij Summi Pontificis cum aliis multis Episcopis in Galliam profectus est. Qui cum in Vrbe Parisiorum ad Ecclesiam sancti Dionysij orandi gratia diuertisset, in eadem Ecclesia quoddam sepulchrum inuenit, quod apud eos magnæ venerationis habebatur, in quo ex eius superscriptione beati Eugenij Toletani Archiepiscopi corpus humatum esse cognouit, de quo diligentius inquirens quis fuerit, vel qua ratione à propria sede quieuerit, tum ex relatu hominum, tum ex eius vita, quam ibi descriptam inuenit, deprehendit,* & post alia, quæ iam ex

eadem vita retulimus. *Cuius corpus post multum temporis diuina reuelatione repertum in Ecclesia B. Dionysij magna fidelium lætitia & exultatione conditur.* Erit fortè qui miretur, cur in hoc colloquio nulla de gestis beati Gerardi mentio inciderit; ego verò non miror, & in his mirari iam desij. Ad hoc autem tempus quo rem magnam confabulati sunt cum Remundo, vt ad certam nouæ opinionis originem reuocandum est, quicquid Vasæus, Mariana, & alii rerum Hispanicarum scriptores de Eugenio Dionysii Areopagitæ Discipulo, & primo Toleti præsule suis libris & Breuiariis cupidissimè intulerunt. Sed frustra, cum & istud ex origine sua spontè cadat, & vetus Toletanæ Ecclesię traditio reclamet; Quæ, vt auctores sunt ipsi tres Episcopi Toletani Ildefonsus, Iulianus, & Felix de viris illustribus, non vltra quàm duos Eugenios agnouit, qui Chindasuintho, & Reccesuintho regibus Toletanam Ecclesiam gubernarunt. Quasi verò Toletani per annos 1148. in ea rerum suarum ignoratione versati semper fuissent, vt illius nomen ipsum, cui primo fidem deberent Christianam, hactenus nesciissent. Porro totius narrationis fabricam huic fundamento inniti ve-

ſimile eſt. Eugenio ſecundo, qui ſcribendorum carminum facultate excelluit, hymnum de beato Dionyſio tribuit Hilduinus: non contenti hac ſubtilitate poſteri, Eugenium illum Hiſpanum cum Gallicano Eugenio Martyre confuderunt, & Diſcipulum fecerunt Areopagitæ, à quo ab vrbe Arelatenſi in Hiſpanias Toletum miſſus eſt, vnde Magiſtri viſendi gratia reuerſus in Galliam, non procul à Lutetia Martyrium fecit. Qui poſtea monachis ſancti Dionyſij fidem habuere, tres in Toletanam Eccleſiam Eugenios inuexerunt.

Tertius Remundi credulitatem ſecutus is eſt, qui poſt annum 1548. Romanum Martyrologium tractauit, & ad 15. Nouembris Pariſienſi Eugenio martyri, quem nunquam habuerat, Toletanæ Sedis Pontificatum liberaliter conceſſit, & Areopagitæ Diſcipulum vocauit. Quæ inducta in Martyrologium nouitas vt confirmetur, beati Gerardi geſtis, & proſpero apud Monaſterium Sandionyſiacum Remundi ſucceſſu nihil adfertur antiquius.

Quartus denique horum omnium veſtigia relegit, qui poſt annum 1595. Miſſale & Breuiarium Pariſienſe emendandum ſibi ſumpſit. In Miſſali communem de Marty-

re non Pontifice orationem, quæ antè relata eſt, ſuſtulit, & in eius locum aliam Martyri & Pontifici aptatam ſuffecit. In Breuiario, vbi nulla vnquam fuerat peculiaris de noſtro Martyre Lectio, vnam ex hiſtoria Monachorum S. Dionyſii conflatam appoſuit poſt annum 1595. vel ſanè non multò antè. Neque tamen ideò vetus noſtra traditio omni ex parte abrogata eſt; tum quia Martyrologium, quod ſingulis diebus legitur, nondum immutatum eſt, tum quia Calendarium Miſſalis & Breuiarii, quo nunc etiam Pariſienſis vtitur Eccleſia, inducentis nouitatem. Correctoris manus effugit ad 17. Calendas Decembris, vbi ſic habetur: *Commem. S. Eug. Mart.* nec, vt in commemoratione Epiſcoporum, Epiſcopus vel Pontifex pro more appellatur. Nihil hîc, niſi oculi deſunt.

Qua verò ætate vixerit Eugenius Mar-
2 tyr, aut ſub quo Imperatore paſſus ſit, non facilè pronunciarim, cum vetera Martyrologia, vetereſque hiſtoriæ ſileant, nec ipſimet inter ſe conſentiant Areopagitici; Atq; inter hos ſunt, qui vt vidimus, ad tempora Clementis Papæ reuocant, ſunt & alii, qui cum interpolarunt antiquiſſimam Martyrum Fuſciani & Victorici hiſtoriam, re-

trahunt ad Maximiani Imperium. Sic igitur hæc historia ante Hilduinum legebatur; *Quo tempore Maximianus Galliæ præsidebat, sancti viri Fuscianus & Victoricus cum duodenario numero sociorum per ordinem glomerati vna cũ venerabili Dionysio Præsule comitibus ceteris Piatone, Rufino, Crispino, Crispiniano, Valerio, Luciano, Marcello, Quintino, & Regulo, &c.* Sic vero interpolata legitur in Passionario sancti Victoris, & in Breuiario Parisiensi, quod anno 1545. editum est. *Sancti viri Fuscianus viri & Victoricus cum duodenario numero sociorum pari ordine glomerati vna cum venerabili Quintino, ac comitibus ceteris Piatone, Rufino, Valerio, Eugenio, Crispino, Crispiniano, Luciano, Marcello & Regulo, &c.* Est & alius tandem, qui in Gallicano Martyrologio 25 & 31. Octobris die passum sub Maximiano Eugenium nostrum, & 15. Nouembris Dionysii Areopagitæ sociũ scribit. Non mihi, sed auctori fidẽ habetote. Ad 25. Octob. sic tradit: *Crispinus & Crispinianus cum beatis Quintino, Luciano, Rufino, Valerio, Eugenio Suessionem venerunt, cum Diocletianus & Maximianus Christi Ecclesiam oppugnarent.* 31. Octobris. *Quintinus cum Crispino, Crispiniano Victorico, Fusciano, Piatone, Eugenio; Rufino, Vale-*

rio, Marcello, aliisque in Galliam Belgicam missus est. Infra. *Rictiouarus à Maximiano principe missus Quintinum vexat crudeliter.* 15. verò Nouebris. *In territorio Parißensi natalis sancti Eugenij, Apostolici Dionisij Symmistæ,* & cetera, quæ it descriptum ex historia Monachorum sancti Dionysii. In harum trium opinionum prima Areopagitici causa cadunt, nec simul habent omnes, quid de Eugenii tempore affirment. In secunda fidem cum causa funditus amittunt. In tertia, nisi ex vno duo efficiantur Eugenii, ea omnis tribuatur auctori fides & gloria, quæ pugnantia inter se loquentibus tribui debet.

23. Ceterum si res Eugenii vel martyris, vel Episcopi Toletani à nouitatis cæcitate ad antiquam lucem, à figmentorum nouitate ad antiquam veritatem reuocare quis velit, de Hilduino hac in parte, & de Hilduinisse-ctatoribus actum est. In primis noster Eugenius Martyr non erit Toletanus Episcopus, nec Eugenius Toletanus Episcopus habebitur pro Martyre, sed pro Confessore, de quo sic in Martyrologio Romano, Parisiensi, & aliis pluribus, ad 13. Nouembris: *Ciuitate Toleto sancti Eugenij Episcopi & Confessoris.* Deinde quod Eugenius al-

ter Toletanus quendam de B. Dionysio hymnum ediderit, cum fides sit penes Abbatem, & Monachos sancti Dionysii, causa nulla est, cur de eo multùm laboremus. Qui enim, vt ex duobus Dionysiis, ita & ex duobus Eugeniis vnum fecerunt, quid vetuit, quominus tam præclari artifices carmen aliquod sub Eugenii Toletani nomine conscripserint, quem posteà Martyrem & Areopagitæ collegam dixerunt? Sed explicandæ fraudis hic locus est. Qui post Ludouicum Imperatorem, relatam à nobis Eugenii historirm adornauit, Eugenio suo Martyri & Episcopo Toletano tribuit duo poemata, vnum, quod incipit: *Rex Deus immensi, quo constat machina mundi.* Alterum vero sic: *Cœlicives applaudite.* Primum ad Eugenium Toletanum juniorem nemine reclamante spectat, & est inter eius opuscula, quæ anno 1619. studio, viri Clarif. Iacobi Sirmondi prodierunt in lucem: Alterum verò cum iisdem non prodiit, quia Eugenij Toletani non erat, sed otiosi cuiusdam hominis, qui illud Eugenio Toletano affinxit. E duobus recentioribus Areopagiticis vnus hos versus omisit consultò, quia fraudem suis, vel alienis naribus suboluit, alter

verò non omisit, quia non suboluit, nec fortè subolere potuit.

24 Quintum ex num 10. *De cuius Dionysii Areopagitæ obitu nihil Græci Scriptores dixerunt, quia propter longinquitatem terrarum transitus ipsius penitus eis fuit incognitus. Habemus tamen Græcæ auctoritatis Martyrologium de tomo Chartisscriniis Constantinopolitanis adeptum, in quo diem natalitij eius dedesignatum, & quia Atheniensium Episcopus fuerit, reperimus annotatum quod Martyrologium, vt antiquitas eius demonstrat, ex eo tempore constare possit non incõgruè remur, quo Constantino iubente martyria Sanctorum Domini de toto orbe collecta, & Cæsaream sunt connecta; sed & vsque hodie Græcorum maiores, & Athenarũ incolæ perhibent historiarum scriptis & successionum traditionibus docti, in eadem ciuitate Dionysium tunc temporis primum fuisse Episcopum, quando Timotheus æquè Pauli Discipulus Ephesiorum rexit Ecclesiam, subrogatoque sibi Episcopo Romam adijsse, & vt compererunt, apud Gallorum gentem glorioso martyrio consummatum fuisse.*

In primis turpissimæ se contradictionis laqueo induit Hilduinus, & Græci Martyrologii citatione incõmodat opinationi suæ. Hinc

Hinc quippe de Areopagitæ obitu nihil à Græcis auctoribus scriptum asseuerat, & postea Areopagitam apud Gallos vita functum tradunt Græcorum maiores, & Athenarum incolæ, qui istud ipsum ex historiis, & veterum traditionibus didicerunt. Inde vetus Martyrologium Constantinopolitanum adducit, vbi dies natalis Areopagitæ, & eius in Atheniensi Ecclesia Sacerdotium designatur. At cuius quæso sancti Episcopi, qui ab vna sede ad aliam migrarit, natalis dies à prima sua sede notatus est in veteribus Martyrologiis? vbinam tantùm reperietur natalis sancti Procli Episcopi Cizyceni? aut Eustastii Berœensis Episcopi? In hoc ergo commate, vt & aliàs sæpè omnem veracitatis opinionem procul à se repellit, & iudicii vadimonium deserit Hilduinus.

Sextum ex num. 11. *Quod autem dicunt in passione istius B. Dionysij scriptum haberi, quia* 25.
eum sanctus Clemens Episcopum ordinarit, Galliasque miserit, proculdubio sciant, quod aut prædictam passionem ex veris & emendatioribus exemplaribus non susceperint, aut scriptorum vitio deprauatam legerint, quoniam non ibi scribitur eum Episcopum à B. Clemente esse consecratum, sed Apostolum to-

tius Galliæ esse consecratum. De qua ordinatione Apostolatus, nisi ad alia se intentio nostra dirigeret, & ex Apostolorum Actibus, & ex ipsius Domini actione, auctoritatis exemplum sufficienter in his scriptis possemus inferre. Festiuus est hac in parte Abbas noster, dum alios carpit, qui veris & emendatioribus exemplaribus non vtuntur, cum ipse non aliis præterquam fictis, aut inquinatissimis vtatur. Enimuero Areopagitæ in Apostolum Galliarum ordinationem ex Actibus Apostolorum & ex actionibus Christi probare se posse contendit, nisi aliò vocaretur. At istud non dicam efferre, sed cogitare quis alius auderet vnquam?

Septimum ex num. 12. *Fortunatus vir pru-*
26. *dens & scholasticißimus in hymno de sancto Dionysio Martyre composito commemorat eum à B. Clemente destinatum, sicut in Latinorum paginis didicit. De natione autem & ordinatione Episcopatus mentionem non facit, quia linguæ Græcæ penitus expers fuit.* Egregiam verò rationem! De natione & Episcopali ordinatione Dionysij Parisiensis non loquitur Fortunatus, quia non nouerat linguam Græcam. Erit igitur deterioris conditionis hominibus, qui quamlibet linguæ Græcæ, Latinæque expertes, de Areopagita tamen,

deque eius in Gallias apoſtolatu loquuntur, imò & aliquando ſcribunt? Deinde cum Fortunatus ignoraret, an Areopagita fuerit Dionyſius ille, qui ex libris Latinorum miſſus eſt à Clemente? cur tibi, Hilduine, tuiſque aſſeclis, Dionyſius Pariſienſis à Clemente miſſus idē eſt, qui Areopagita, ſi tuo idē non ſit Fortunato? Sic reuera ortum habuit opinio Hilduini, vt primò Dionyſiū Pariſiensē à Clemente miſſum, tum poſtea eundem Areopagitā fuiſſe fabularētur. Deniq; cū hymnus iſte nuſquam repertus fuerit, niſi in armario Monaſterii S. Dionyſii, veniam dabit Hilduinus, ſi fidem ipſi, quia nullam meretur, habere non poſſumus. De Dionyſio & Eccleſia Pariſienſi Fortunatus lib. 1. Opuſc. cap. 11. & lib. 8. cap. 4. cum plura dicit, eáque magnifica, de illius à Clemente Romano miſſione nihil ſignificat vnquam, licet cōmodiſſimam occaſionem habeat, & vſquequaque pangendi carminis materiam quærat & argumentum.

Octauum ex eodem num. 12. *ideò certiùs tenenda ſunt, quæ modò de hoc eximio Martyre collecta conſcribimus.* Et paucis interiectis: 27 *præſertim cum hæc, quæ ſcribimus de antiquariorum antiqua Scriptura ſint velut ex prato non Pariſiaco, ſed Paradiſiaco.* Verum quæ

& qualis illa sit sancti Dionysii vita, quam scripsit Hilduinus, è multis quatuor copiosissimè docent.

Primum hic titulus vitæ: *Incipit paßio sanctißimi Dionysij, qui à loco Areopagita, & patriotico prænomine Ionicus, Christiano autem agnomine est appellatus Macarius, à sancto Apostolo Paulo Atheniensium ordinatus Archiepiscopus, Apostolica verò auctoritate B. Clementis totius Galliæ constitutus Apostolus.*

Secundum Clementis ad Dionysium adlocutio: *Vides*, inquit, *mi frater carissime Macari Dionisi, quanta est messis dominicæ sationis, & quàm pauci sunt operarij. Quia ergo de omnibus Catholicæ pietatis es sufficienter edoctus, & omni Christiana virtute ac Religione admodum roboratus perge in nomine Domini partes aggrediens Occidentis, vt bonus miles Christi præliare prælia Domini Dei tui, atque sicut Dominus noster Iesus Christus Magistro meo Petro tradidit, & ego sanctæ hæreditatis iure suscepi, vt in ligandi, soluendique auctoritate tibi semper præsto sit diuina potestas, nostris orationibus comitatus, & sanctorum Apostolorum intercessionibus roboratus in tui Apostolatus sorte, Apostolica nostra auctoritate omnem suscipiens Galliam, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, vt Christi no-*

titiâ per te vbique diffusâ à Domino in die retributionis merearis audire: Euge serue, bone & fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui, &c.

Tertium ex numero 20. *Tunc* (quando venit Dionysius) *memorata Parisiorum ciuitas, vt sedes regia, & conuentu Gallorum ac Germanorum & nobilitate pollebat.*

Quartum denique ex num. 35. *Sanctorum corporibus digna veneratione sepultis eorum vestimenta, tunica, videlicet, cilicium & caligæ, Dionysij pretiosi, & casula sancti Rustici Archipresbyteri, atque Dalmatica Eleutherij, &c.*

Ecce tibi nobiles sancti Dionysii vitæ flosculi, quos *ex prato non Parisiaco, sed Paradisiaco* se decerpsisse Hilduinus gloriatur. At frustra: Nempe fictæ illæ sunt in solo Abbatis nostri monasterio fabulæ, quæ cum Canone Africano; tum Capitulari Caroli Magni ab Ecclesia proscribuntur. Et primùm quidem, quid hæc sibi volunt, patrioticium Dionisii prænomen *Ionicus*? quid Christianum agnomen *Macarius*? quid constitutus *Archiepiscopus*, vbi nulli erant adhuc Episcopi? sed hîc quàm aduersa Delia venatur Abbas? Nomen *Archiepiscopi* tunc inauditum, & iis ferè solis, qui postea

dicti sunt Patriarchæ, tributum, & in Gallia nostra non ante Cōcilium Matisconense primum vsitatum; quique antea dicebatur Metropolitanus, vel primus inter singularum gentium Episcopos, hîc Canone 6. dici cœpit Archiepiscopus. Deinde Clementis ad Dionysium adlocutionem non prius legas, quàm velut lepidum quoddam Sandionysiani viridiarii somnium repudies. Tum ad ea verba, quibus Lutetia Ammiano Marcellino Castellum, Iuliano Cæsari oppidulum, vt sedes nihilo seciùs regia, Gallorum Germanorumque conuentu celebris iactatur, risum quis contineret? Denique casulam Rustici, & Dalmaticam Eleutherii nullus opinor ferret, qui apud Amalarium legerit, *institutam esse à Siluestro Dalmaticam*, qui apud Strabonem viderit, *ordinasse Siluestrum, vt Diaconi Dalmaticis in Ecclesia vterentur, & primùm quidem Sacerdotes Dalmaticis ante casularum vsum indutos, postea verò cum casulis vti cœpissent, Dalmaticas Diaconibus concessisse.* Qui in vita Cæsarii Arelatensis obseruarit, Symmachum Papam Arelatensibus perinde ac Romanis Diaconis, & Gregorium primum Epist. 3. lib. 7. A regio Vapincensi Episcopo, & huius Archidiacono

Dalmaticarum vſum ex ſingulari priuilegio permiſiſſe.

Ceterum cum Hilduinus in hac vita Dionyſii virtutes & miracula, quæ apud probatos auctores teſtatiſſima ſunt, prætermiſit, in eo diſſimulare non poſſumus ſpontaneam, vel neceſſariam rerũ præteritarum ignorantiam. Spontaneam dico ignorantiam, cum ſciens fortè prætermiſerit, ne quid ex iis veri, ſed Monaſterii opinioni & commodis aduerſum concluderetur. Sed cum hæc ad aliam diſſertationem pertineant, nos conſultò prætermittimus. Quæ non omittendo, ſed quæ potiſſimùm agendo peccauit Hilduinus, exequimur impræſentiarum. 28.

Nonum ex Epiſtola ad cunctos fideles Areopagiticis adnexa: *Notitia beatiſsimi Dionyſij apud Latinos modica ſeruabatur obtecta.* Hîc ſi ſuis iſta momentis expendantur, Hilduinus & iugulũ cauſæ petit ſuæ, & omnẽ Diſcipulis licentiam adimit adferendi neſcioq; monimenta, quę poſt Hilduinum cõparata, in exitum ſacratæ antiquitatis antiquitatem ipſam ementiuntur. Quę duo ſingillatim nunc oſtẽdenda ſunt. Et primò quidem, quod exiguam vocat apud Latinos opinionis, quam hominum mentibus 29

ingenerare volebat, notitiam, ego nullam penitus appello, & sic rem conficio, atque ab Ecclesia Romana ordior, cuius vetus Martyrologium duos Dionysios Areopagitam & Parisiensem maximè distinctos repræsentat apud Adonem. 5. nonas Octobris. *Athenis Dionysij Areopagitæ sub Adriano diuersis tormentis passi.* 7. Idus Octobris: *Parisiis Dionysii Episcopi cum sociis suis a Fescẽnino gladio animaduersi.* Hîc Areopagita & Parisiensis diuersis tormentorum generibus, disiunctissimisque in locis pro Christo sanguinem effundunt, aliquot habet Parisiensis socios, Areopagita nullos. Suspecta est, inquis, huius Martyrologii fides, quid enim? *Parisiis*, dicit, non *Parisius, in Parisio, apud Parisium.* Itane verò tantum in te argutiarum? Suspecta ergo est Gregorii primi Epistola inter ceteros scripta Simplicio Parisiis. Si vtrumque displicet, Librarium, vel Typographicum Correctorem accusa. Iterum, *non concordat*, inquis, *cum antiquissimo Romano Baronij*, imo Romanum Baronij nouissimum hac in parte, & ab antiquissimo discordat, quod pridem aliis Sanctorum nominibus, & rebus auctum Venetiis excusum est anno 1548. iam vidimus. Rursus *ex antiquissimis*

Mar-

Martyribus Romanis multos omittit, quos habet Romanum Baronij. Quid inde? nondum erant vindicati, quo tempore vetus illud Martyrologium est conditum, aut si vindicati, diligentiam auctoris fugerunt. Sed quæso absunt-ne à Romano Martyrologio, quod anno 1548. Venetiis prodiit, vbi duo diuersissimi reperiuntur Dionysii? Denique quod antiquus historicus, vel tractator nonnihil omiserit, quod absolutè dici potuit, est fortassis, cur illius accurationem reprehendas, sed profectò nihil, cur suspectam illius fidem in eo quod narrat appelles? en tela; en machinæ, quas tu, sed incassum admoues mœnibus antiquitatis nostræ.

Quibus verò hominibus, quibus-ue ciuitatibus perspectum fuit nostrum Martyrologium, dicet is, cui acceptam Martyrologii conseruationem referre debemus: *Huic operi,* inquit Ado in præfatione Martyrologii sui) *vt dies Martyrum verissimè notarentur, qui confusi in Calendarijs satis inueniri solent, adiunit venerabile & perantiquum Martyrologium ab vrbe Roma Aquileiam cuidam sancto Episcopo à Pontifice Romano directum, & mihi postmodū a quodam religioso fratre aliquibus diebus præstitum, quod*

ego diligenti cura transcriptum positus apud Rauennam, in capite huius operis ponendum curaui.

30. Italiam excipiet Anglia, & communis Angliæ Doctor venerabilis Beda, de cuius mente sollicitus esse nemo debet. Noster est, non aduersariorum. Fatetur Hilduinus Dionysii Areopagitæ & Parisiensis discrimen, *ex autumatione Gregorij Turonensis, & ex subreptione Bedæ*, hominum animos suo tempore occupasse. Fatetur, inquam, in Epistola ad fideles Hilduinus, quem, qui nouerit, in gratiam aduersariorum mentiri non velle credet. Fatentur & Monachi S. Dionysii, quorum alii verberibus ad palinodiam coegerunt Abaelardum suum, qui Bedæ sententiam Hilduini credulitate potiorem affirmauerat: Alii verò vt Vsuardum quoq; suum excipiant, eumdem à Beda deceptum confidentissimè scribunt. Qua quidem in causa nec ingenuam aduersariorum nostrorum (quod rarissimè fit) confessionem nobis inuideant alii Areopagitici, nec illis fidem detrahant æqui rerum æstimatores; vt qui sua in causa nullam, aliquam semel in aliena, id est, nostra sinceritatē quoquo modo seruasse dicātur.

31. De Martyrologio tamen, quod sub

nomine Bedæ vulgatum malè quosdam habet, nonnihil dicendum est. Verba ista sunt: 5. nonas Octobris. *Natale sancti Dionysii Areopagitæ, qui ab Apostolo Paulo instructus, credidit Christo, & primus Athenis ab eodem Apostolo Episcopus est ordinatus, & sub Adriano principe post clarissimam confessionem fidei, post grauissima tormẽtorum genera glorioso Martyrio coronatur.* 7. Idus Octobris. *Apud Parisium: Natale sanctorum Martyrum Dionysii Episcopi, Eleutherij Presbyteri, & Rustici Diaconi: qui Episcopus à Pontifice Clemente Romano in Gallias directus, vt prædicationis operam populis à fide Christi alienis exhiberet, tandemque ad Parisiorum ciuitatem deuenit, & per annos aliquot sanctum opus fideliter & ardenter executus, à Præfecto Fescennino Sisinnio comprehensus est, & cum eo sanctus Presbyter Eleutherius, & Rusticus Diaconus gladio animaduersi Martyrium compleuerunt.* Verum vt non plus minus ne huic Martyrologio tribuatur, quam tribuendum sit, obseruanda duo sunt: Vnum est, illud non magis esse Bedæ, quam cuiuslibet alterius Martyrologium, cum ex puro puto Bedæ exemplari non prodierit, in quo *plures Calendarum dies intactos reliquisse Bedam* docet Vsuardus: at in hoc edito sub nomi-

ne Bedæ Martyrologio sanctorum nominibus sunt omnes pleni dies: quod iam tum *studio Venerabilis Flori*, antè fieri cœperat, quam Ado Martyrologium suum compingeret, vt ipsemet auctor est in sua præfatione. Alterum, Romæ olim apud Baronium Bedæ Martyrologium extitisse, quod haberet vnum duntaxat Dionysium Parisiensem scilicet 7. Idus Octob. Vtrum autem germanum istud, & sine vlla additione fuerit Martyrologium, non affirmat, nec fortean expendit Baronius. Hæc cum ita sint, nobis cum solo Baronio controuersia erit, qui ait, *Non à Beda posita, sed ad Bedam ea de Dionysio Areopagita addita esse oportuit, ex Græcorum fortè menologio, in quo agitur 5. Non. Octob. de Dionysio Areopagita.* At hæc ratio neruos non habet, aut contra Baronium habet, cum si quod nunc editum est Græcorum menologium, vidisset is, qui Martyrologio Bedæ hocce genus additamenti fecerit, non addidisset, quod additum suspicatur Baronius, imò quod additum est, detraxisset, cum in illo Menologio ad tertiam Octobris diem, idem omnino sit Dionysius Parisiensis, qui Areopagita. Deinde quid additum vel additum non sit, nemo verè dicet vnquam, quoad germanum Be-

dæ inuenerit, recognoueritque Martyrologium. Tum hac in re desidero acumen Baronii, qui ex mentione vnius Dionysii Parisiensis, qui nec Areopagita, nec Atheniensis, nec ab Apostolo conuersus dicitur, concludit hunc eundem esse cum Areopagita. In eo quod habuit Baronius Martyrologio, Areopagitæ nomine dies tertius Octob. vacauit, qui sexcentis in aliis eodem plenus est. In quibusdam Martyrologiis id, quo de agimus additum est, in aliis verò detractum vel immutatum, prout Correctores & Librarii in Areopagitica, & opiniones Hilduini & Monachorũ S. Dionysii inciderũt, aut prout hoc vel illo studio flagrarunt: In Martyrologiò Parisiẽsi, quod Ioannes Muneratus Theologus Parisiensis anno 1490. edidit è Regia sua Nauarra, nomen Clementis additum est quod Ecclesiæ Parisiensis exemplar non habebat. In Manuscripto quodam Vsuardi codice, qui inter plures asseruatur in Bibliotheca S. Germani de Pratis, erasum est id omne, quod ad asserendum vtriusque Dionysii discrimen pertinebat. Denique ex hoc qualicunque Bedæ Martyrologio discant Areopagitici, Dionysium Parisiensem à Clemente mitti potuisse, nec Areopagitam esse, cum

hîc vterque duobus in locis moriatur, vnús sine sociis, alter cum sociis Eleutherio & Rustico.

32. Ex Anglia soluamus in Galliam, non ignobilem Ecclesiæ Latinæ portionem; huc & illuc loca sacra & templa lustremus, ac tandem videamus, de Dionysio Areopagita & Parisiensi, quis sensus ante Hilduinum? quæ notitia? quod discrimen? Ducentis quadraginta ante Hilduinum annis iam vetus extabat historia Saturnini Martyris, in qua is designatur Dionysius Parisiorum Episcopus, qui non potuit esse Areopagita, & concedit Hilduinus. Huius historiæ fragmentum retulit Gregorius Turonensis in historia sua, lib. 1. cap. 28. *Huius*, inquit, *Decij tempore septem viri Episcopi ordinati ad prędicandum in Gallias missi sunt sicut historia passionis sancti Martyris Saturnini denarrat: Ait enim sub Decio & Grato Coss. sicut* fideli recordatione retinetur, *primum ac summum Tolosana ciuitas sanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo missi sunt Turonicis Gatianus Episcopus, Arelatensibus Trophimus Episcopus, Narbonēsibus Paulus Episcopus, Tolosę Saturninus Episcopus, Parisiacis Dionysius Episcopus, Aruernis Stremonius Episcopus, Lemouicis Martialis est destinatus Epis-*

copus. De his verò B Dionysius Parisiorum Episcopus diuersis pro Christi nomine affectus pœnis præsentem vitam gladio imminente finiuit Hæc est de B. Dionysio primo Parisiorũ antistite fides, quæ ex primis Ecclesiarũ originibus ante annos mille deducta est, hæc est traditio, quæ ante Hilduinum à suscepta Christi religione nullos obnunciatores habuit. Quid memorem Germanum, Ragnemodum, Simplicium Dionysii successores, quid referam florentissimum clerum, qui omnes opinor hanc Saturnini historiam vel apud auctorem, vel apud Gregorium legerunt, nec repugnarunt? Quid dicam de iisdem, vel aliis Parisiensibus Episcopis, qui huius historiæ vindicem Gregorium viderunt, coluerunt, nec restiterunt, aut illius in hac narranda historia simplicitatem, & inconsiderantiam arguerunt? Quo igitur controuersia, quæ nunc à quibusdam agitatur, certiùs reuocabitur, quàm ad nascentis Gallicanæ Ecclesiæ primordia? Eritne deputandum mendacio, quod ipsa in veterima illa Saturnini historia professa est, & tandiu professa est, iis etiam spectãtibus, quorum res fuit? Si quis haberet integra reliquorum Martyrum acta, quæ vidisse se Sulpitius Seuerus, & Gregorius Turonensis

testantur, aut si quis antiquus scriptor ea suis libris castissimè intulisset, his-ne autoritatem abrogares? Adhæc, crederes-ne Gregorii Turonensis æuo, vel minimum de Dionysii Areopagitæ in Gallias missione rumorem fuisse, quem ille vir & Gallicarum rerum supra ceteros studiosissimus, & miraculorum cuiuslibet Sancti diligentissimus obseruator non vindicasset? Cur enim quod Eutropio Sanctonum Episcopo, incertæ credens famæ præstitit, Dionysio Parisiensi negasset? Cur negasset, inquam Gregorius, qui se diuersis de causis Lutetiæ frequentissimè versatũ passim testatur? Imò qui videtur in referẽda horũ Episcoporũ historia peculiarem operam collocasse? Liberanda veritas forsan expectabat Hilduinum, cui quod à maioribus acceperat per obsignatam tot decursarum ætatum chirographis traditionem, interuertere placuit. Sed, inquiunt, errat Gregorius: Petrum à ceteris Apostolis ordinatum Episcopum Romæ, Paulum vno post Petrum anno mortuum, Sixtum Romanum, qui sub Valeriano, passum sub Decio prodidit: Itaque & in Dionysio Parisiensi errare Gregorium dicendum est. Itane [illegible] concluditur? Maximè verò. Extra scopum iaculamini

Areopa-

Areopagitæ defensores, tela vestra si quem feriunt, auctorem Gregorio vetustiorem feriunt, non Gregorium. Quodnam argumenti genus? Inquibusdam errat Gregorius, ergo & vetus auctor, & ipse forsan αὐτόπτης historiæ, quam Gregorius retulit: ô dignam Aristotele consequentiam! Profectò id genus Areopagiticorum nobis illud; & meritò, si patiamur.

Enimuero non relator tantùm, sed & auctor sit historiæ Gregorius: quanti autem sint errores, qui obiiciuntur, non disputo? 33. nunc in quibusdam errauerit Gregorius, volo. Quid inde? cõmunis hic locus est, quo si quis vtatur, ab vllo propemodum scriptore, qui Canonicus non sit, nihil admittet vnquam. Nempe vix vllus est, qui si longum aliquod opus, & maximè historicum ediderit, nonnihil passus sit humani. Res nota est. Sed ad duos eâ ob rem recentiores Areopagi defensores cominus accedo. Alter in Vindiciis, qua parte Massiliensibus Lazarum, Aquensibus Maximinum Episcopum tribuit, in huius rei fidem laudat Sigebertum in chronico ann. 745. Martyrologium Romanum 22. Iulii, & Martinum Polonum in Chronico. At Sigibertus Miræi, qui purior est, de Maximino & Lazaro

nihil penitus ſcribit. Sigibertus Pictorii, & Martinus in Chronico de Maximino loquuntur, de Lazaro ſilent, & Martyrologium Romanum 22. Iulii de vtroque ne gry quidem: In his vti vides, fallitur vindex Areopagiticus, ergo & quę volueris ab eo dicta in opere vindiciarum, nullius erunt auctoritatis. Alter verò in Gallicano Martyrologio ad 24. Auguſti, Audoenum Rotomagenſem à Dadone ſeparat, hoc eſt, à ſeipſo, & vnum facit cum Adone, id eſt, cum fratre natu maiore. Ad decimum Nouembris in ſupplemento Martyrologii Ioānem Scotum ſeu Erigenam dictum. *Vt Christi Martyrem*, in libro verò de myſticis Galliæ ſcript. pag. 1073. vt *peſtem Eccleſiæ in viuis, & poſt mortem hæreſeos damnatum affirmat*; Item Gatianus Areopagitæ Diſcipulus Turones à Clemente miſſus eſt pag. 956. & 957. de Myſt. Galliæ ſcript. & pag. 1093. annis vixit 50. in Epiſcopatu. In Martyrologio Gallicano ad 13. Septemb. Lidorius Gatiani Diſcipulus Magiſtro ſucceſſit, & annis in Epiſcopatu vixit 33. Sub Lidorio Martinus in Galliam venit, prædicauit Euangelium, & Lidorio ſucceſſit. Martinus ad 11. Nouemb. Treuirenſi Concilio interfuit, & poſt ſedem annorum 25. abiit ad ſuperos

tempore Seuerini Coloniensis. Hæc chro-
nica serie exponamus: Gatianus cum Areo-
pagita venit ann. Chr. 98. & obiit ann. 148.
Lidorius successit, & obiit anno 181. Mar-
tinus Lidorio successit, & anno post Lido-
rium 25. obiit, id est ann. Christi 216. Dein-
de quia Martinus Treuirensi interfuit Cō-
cilio, quod habitū est ann. 386. & ætatē Seue-
rini Coloniensis attigit, etiā debuit obiisse
circa ann. 400. atque ita annis propemodū
184. vixit in Episcopatu. At in his plerisque
sinè dubio fallitur auctor Martyrologii: er-
go ex huius & illius Areopagitici Dialectica,
quicquid volueris peccauerit, siue in Mar-
t[redacted]ologio, siue in aliis libris. Reddimus er-
go vobis, si diis placet, vestras aduer[redacted]re-
goriū[redacted]allor, præ se fe-
runt speciem adulterinæ monetæ, quam qui
cudunt, dare quidem volunt aliis, sed reci-
pere nolūt vnquam. Sic est enim, sic est: Nō
istis itaque communibus locis, quibus ve
læditis alios, ita & vos lædimini, primus
historiæ Saturnini scriptor, & vindex secun-
dū illum Gregorius, sed propria & legitima
ratione excipiendi sunt. Quomodo igitur?
quærite vosmetipsi: res vestra agitur: per
antiquiores dico ego, vel æquales, vel saltē
suppares scriptores, qui rem melius nouisse

potuerint. Detur igitur vel vnus auctor antiquior, æqualis, vel ſuppar, qui ſimilem de Areopagitæ in Gallias miſſione hiſtoriam ſcripſerit, modò de illius ætate, & ſcriptorum ſinceritate perinde conſtet atque de Gregorio, deque hiſtoria Saturnini, ſine vlla controuerſia cedemus, quicquid aliàs alia de re in tali hiſtoria dubium, vel minus exquiſitum narraretur. Pares nobis diſputandi conditiones offerant Areopagitici, ſi verum amant.

34 Hìc nobis conueniendus eſt Baronius, qui hanc ipſamet Gregorii hiſtoriam modò vt teſtem veritatis appellat, modò vt teſtem falſitatis repudiat. Negas? aio enimuerò. [redacted] vt ſuo Martyrologio quærat fidem apud antiquos [redacted], ad 1. Nouemb. de Auſtremonio Aruernenſi, ad 29. eiuſdem menſis de Saturnino Toloſano, ad 18. Decembr. de Gatiano Turonenſi lectorem ad Gregorium Turonenſem remittit lib. 1. hiſt. cap. 30. Ad 9. autem Octob. cum accedit, non amplius ad Gregorium, vt qui errauerit lib. 1. hiſt. cap. 30. ſed ad ſcriptores ducentis & amplius annis poſteriores remittit, Hilduinum & Hincmarum, quorum ille vir candidus & ſincerus Gregorium Turonenſem *ſimplicem* appellat.

NuncBaronio reddimus, quod suum est tomo 1. Annalium cap. 12. *Quod à recentiore auctore de rebus adeo antiquis sine alicuius vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.*

Gregorium Turonensem sequitur vetus Martyrologium, quod vidimus in antiqua S. Martini de Campis Bibliotheca, vbi publicam de duobus nostris Dionysiis fidem videre est. 5 Non. Octob. *Natalis sancti Dionysij Episcopi & Martyris, qui post clarissimam confessionem fidei, post grauissima, tormentorum genera glorioso martyrio coronatus est.* Hæc ibi tantùm. 7. Idus Octob. *Apud Parisius Natalis sanctorum Martyrum Dionysij Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi: Qui B. Episcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus, ad præfatam vrbem deuenit, vbi per aliquot annos commissum sibi opus fideliter prosequens, tandem à Præfecto Fescennino, vna cum sociis gladio animaduersus martyrium compleuit.* Hæc in eo Martyrologio, quod post Clodoueum II, & ante Carolum Magnum conscriptum est, tum quia nullũ Confessorem, vel Martyrem Leodegario Augustodunensi recentiorem referat, tum quia multò pauciora, quam Vsuardus, complectatur.

Post hoc Martyrologium dandus est lo- 36.

cus antiquiſſimis ſanctorum Fuſciani & Victorici geſtis, in quibus ſic legitur: *Quo tempore Maximianus Auguſtus per arua Galliæ præſidebat, ſancti viri Fuſcianus & Victoricus cum duodenario numero ſociorum per ordinem glomerati, vna cum venerabili Dionyſio præſule, comitibus ceteris Piatone, Rufino, Criſpino, Criſpiniano, Valerio, Luciano, Marcello, Quintino, & Regulo ab vrbe Roma curſu intrepido progredientes intra fines Galliæ peruenerunt*, &c. Vidit hanc opinor hiſtoriam Audoenus Rotomagenſis, qui in vita Eligij Veromanduorum Epiſcopi lib. 2. cap. 7. Lucianum Quintini collegam facit. Vidit & Vſuardus, qui Piatonem, alioſque Dionyſio Epiſcopo comites adſcribit. Hiſtoria Saturnini Dionyſianæ miſſionis, non mortis, acta, vero ſanctorum Fuſciani & Victorici, mortis non miſſionis tempus deſignant: quæ duo tamen nonunquam facilè confunduntur. Præterea Gatianus Turonenſis Dionyſij noſtri ſocius, cum annis 50. vixerit in Epiſcopatu, quid prohibuit, quominus vitam ad Diocletianum, & Maximianum vſque protraxerit Dionyſius?

37. His Fuſciani & Victorici geſtis ſuccedit Vſuardus Monachus S. Germani Pariſien-

ſis in Martyrologio, quod iuſſu Caroli Magni confecit. Calend. Octob. *Ciuitate Tornaco paſsio ſancti Piatonis Presbyteri, qui cum B. Dionyſio eiuſque ſociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit, ac poſtea conſummato martyrio migrauit ad Dominum.* 5. Non. Octob. *Natalis B. Dionyſij Epiſcopi & Martyris, qui poſt clariſsimam confeſsionem fidei, poſt grauiſsima tormentorum genera, glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides Athenienſis vir fide ſapientiaque mirabilis in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit.* Hic vides, quid præcedenti Martyrologio ſuperaddat Vſuardus. 7. Idus Octob. *Apud Pariſium Natalis ſanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi: Qui B. Epiſcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus ad præfatam vrbē deuenit, vbi per aliquot annos commiſſum ſibi opus fideliter proſequens, tandem à Præfecto Feſcennino vna cum ſociis ſuis gladio animaduerſus martyrium compleuit.* Hîc ſuperiori Martyrologio nihil adiectum eſt, ſed maiorum traditio ſolis maiorum verbis retenta. Quid habes Hilduine, quod huic teſtatiſſimæ traditioni opponas? Nihil inquis, *quia notitia beatiſsimi Dionyſij modi-*

cà apud Latinos seruabatur obtecta. Rectè quidem, ergo tu nouator? Minimè verò, respõdes? quid igitur? audio: quæ scribis, *de prato sunt nõ Parisiaco, sed Paradisiaco*, at quæ scribũt Vsuardus & alii, *de prato sunt Parisiaco.* Ita sane. Quæ scribunt isti, de fide & traditione Romanæ Ecclesiæ, Gallicanæ, & potissimùm Parisiensis petuntur.

Succẽturiati porrò milites Hilduini quid
58. adferunt noui, cum de veteri paratura habeant nihil? à Beda, inquit ille, deceptus est Vsuardus: satis est dixisse; vnde probas huncdeceptum, illum verò deceptorem? sit deceptor Beda: quasi verò tam credulus Bedæ Vsuardus esse potuit, vt secus ac in Parisiensi Ecclesia, in Monasterio sancti Dionisii, & suo crederetur, publicis literis mandasset, aut mandare ausus fuisset? vbinam tunc ij Monachi, à quibus vapulauit Abaelardus? Deinde argutator noster vnde accepit, Vsuardum à Beda potius, quàm *à Floro, & aliјs præcedentium Patrum Martyrologiis*, quibus vsum se profitetur, in errorem inductũ esse? Frustra ergo profitetur Vsuardus, *sagaci à se indagine, id perquisitum, quod in suo Martyrologio mutauit vel auxit*? Satis profectò non est, illud omne, quod sorte quadam venit in buccam, respondere

respondere quod non probetur, imò, quod hominem ridiculum, & totis theatris explodendum sæpissimè proponat. Neq; vero difficilè capimus, quò tendat hic auctor. Vno verbo: Vsuardus, qui maiorum traditionem Lutetiæ secutus est impunè, errauit: at verò non errant Areopagitici vindices, qui contra suis exploratã legibus maiorum traditionẽ castrametantur. Sed alter cum peruideat amentata esse tela, quæ ex Vsuardo promũtur, ait Monachum nõ esse sancti Germani Parisiensis, sed Fuldę: atque ita partium studiis obcæcatus receptum habet ad errorem, quem nuper peculiari contra vẽdicatam à Molano Sigeberti opinionẽ velitatione dissiparat. Quippe mauult exploratum à semet errorem publicis scriptis asserere, quam assertam ab aliis veritatem amplecti. Sua sit illi suo modo sapiendi libertas. Sufficit nobis vetus illa scheda, quam Vir Clar. Petrus Pithœus Monasterio sancti Germani dedit ad assertionem Vsuardi, vbi sic disertè habetur: *explicit Prologus Vsuardi Monachi sancti Germani Parisiensis.* Scio quidem æstuosissima ab aduersario asseueratione scriptũ, in hoc Prologo nomen *Parisiensis* desiderari, sed excusandus est vir admodum consideratus,

quia non legerat. Fingunt alii varia effugia, ſed quæ omnia duobus in locis, duobus diebus mors illata variè duobus, vni cum ſociis, alteri ſine ſociis, & ad Calend. Octob. Piatonis inita cum Dionyſio Epiſcopo ſocietas vſquequaque præcludunt.

Duabus itaque viis Dionyſii Areopagitæ
39. & Pariſienſis diſcrimen certiſſimè conſtat: vna eſt, quod Hilduinus Martyrologium nullum, ſcriptorem nullum, qui à nobis legatur, ſuæ ſententiæ adſtipulatorem produxerit: Altera, quod ab incunabulis Eccleſiæ Latinæ conſentientem nullo reclamante traditionem exhibuerimus vſque Carolum Magnum. Quare nemo prudens non intelligit, Erigenam 50. circiter poſt annis lepidâ quadam ironiâ Hilduinum ſuggilare, qui B. Dionyſii vitam nuperrimè conſcripſerat. Etenim vbi iactatam de Areopagitæ in Gallias aduentu, non Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi, non Polycarpi, non Euſebii, non Gregorii primi, ſed aliorum moderni temporis hominum opinionem affirmat, continuò ſubiicit, *quantum vita eius à fidelibus viris tradita teſtatur.* Nouerat Erigena, quanta erat Hilduini fides, qui ex Euſebio Areopagitæ in Galliæ tranſitum aſſeruerat, qui ex Actibus

Apoſtolorum, & ex actionibus Chriſti commiſſum Areopagitæ Apoſtolatum totius Galliæ probare ſe poſſe dixerat, niſi aliò vocaretur. Perinde quaſi dari poſſit melior, aut certior probatio, quàm quæ ex Scripturis ſacris, & ex actionibus Chriſti deduceretur. Hunc quoque ſparſum Hilduinianæ nouitatis rumorem colligit in Martyrologio ſuo Rabanus: *Dionyſium*, inquit, *Ruſticum & Eleutherium referunt à Clemente Papa in Galliam ad prædicandum verbum Dei miſſos.* Vt Nonis Auguſti ex neſcio quorum mente Dionyſium à Petro in Gallias miſſum cum Memmio Catalaunenſi, ſic & 7. Idus Octobris ex Hilduini opinione eundem à Clemente in Gallias ablegatum recenſet.

Verumenimuerò hoc ipſomet tempore, 40
in quo verſamur, res aliter ſucceſſit, atque Areopagitici quidam, imò & alii ſibi perſuadent. Quis ergo tunc vniuerſi negotii exitus? quis vtique, niſi vſitatus, & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet in Galliarum Eccleſiis antiquitas, exploſa nouitas. Iſtud oculis ſubiicimus. In primis prodeat Ado Vienenſis, qui quo tempore Hilduini, & potiſſimùm Hincmari ſtudia feruebant, Martyrologium conſcripſit, vbi & maiorum

retinetur traditio, & firmatur. 5. Non. Octobr. *Natalis S. Dionysii Areopagitæ, qui ab Apostolo paulo instructus credidit Christo, & primus apud Athenas ab eodem Apostolo Episcopus est ordinatus, & sub Adriano Principe post clarissimã confessionẽ fidei, post grauissima tormentorũ genera glorioso martyrio coronatur, vt Aristides Atheniensis vir fide sapientiaque mirabilis testis est in eo opere, quod de Christiana religione composuit. Hoc opus apud Athenienses summo genere colitur, & inter Antiquorum monimenta clarissimum tenetur, vt peritiores Græci affirmant.* Perpẽdite quæso hîc Adonem arguere recentiores quosdam Græcos, qui minus periti, à maiorum traditionibus, vt forsan Hilduino gratificarentur, defecerant. Quicquid enim tunc Græci scripserunt de B. Dionysio, id ex Commentariis Gallorum profectum esse non obscurè docet Hincmarus in Epistola, quam ab eodem scriptam volunt ad Carolum Caluum: *Recognoui* (inquit lecta B. Dionysii passione à Methodio Græcè scripta, & ab Anastasio Latinè versa) *his, quæ ibi scripta sunt, ea, quæ in adolescentia legeram, consonare, videlicet per quos ac qualiter gesta martyrij B. Dionysii, sociorumque eius ad Romanorum cognitionem, indéque ad Græcorum notitiam*

peruenerint. Quàm verò prudenter inter peritiores & minus peritos diſcernat Ado, dici vix poteſt. Quis enim neſcit peritioribus, non minùs peritis in negotio, quod ad accuratam diſcuſſionem pertinet, potiorem habendam eſſe fidem? 7. Idus Octobr. *Apud Pariſium natalis ſanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Eleutherij Presbyteri, & Ruſtici Diaconi: Qui B. Epiſcopus à Pontifice Romano ad Gallias directus, vt prædicationis operam populis à fide Chriſti alienis exhiberet, tandem Pariſiorum ciuitatem deuenit, & per aliquot annos ſanctum opus fideliter & ardenter executus, à Præfecto Feſcennino Siſinnio comprehenſus & cum eo ſanctus Presbyter Eleutherius, & Ruſticus Diaconus gladio animaduerſi martyrium compleuerunt.* Hæc ille, quæ vt cetera, ex *collectis vndecunque paſsionum codicibus* ſe cōpegiſſe præfatur. Itaque cum hoc ipſum, quod de Dionyſio Pariſienſi tradit, iiſdem prorſus verbis repræſentet Breuiarium Romanum annis, 1529. & 1543. in Gallia editum, vt antea num. 13. obſeruatum eſt, nunc re iterum diligentiùs examinatâ pronuntiare nō audeo, vtrum Ado ab Eccleſia Romana, an vero Eccleſia Romana ab Adone hanc hiſtoriam deſumpſerit? ſed, vtut eſt, & quod

ad rem facit plurimum, conſpirantem vbique traditionem habemus, atque in primo nulli ſunt aduerſarii, & in altero capti.

41. Porrò ex his, quæ hactenus, & maximè in Adonem diſſeruimus, omninò concidit triplex illud ſuffragii genus, quod oſtentat Hincmarus in epiſtola ad Carolum, *Græca, ſcilicet, teſtificatio, ſanctæ Sedis Romanæ atteſtatio, & Gallicana conteſtatio.* Etenim Græca teſtificatio ad Methodium & alios Græcos, qui vitam Dionyſii ex Commentariis Hilduini magna ex parte ſcripſerunt, Romanæ Sedis atteſtatio ad Anaſtaſium Bibliothecarium, qui vitam, vt aiunt, à Methodio Græcè ſcriptam Latinitate donauit, Gallicana conteſtatio ad Hilduinum reducenda eſt; atque ita ad vnũ Hilduinũ vti ad primum erroris fontem omnia reducta eſſe videmus. Quod autem Græca teſtificatio non vltra Methodium reducatur, conſtat primùm ex eo quod Sophronius Hieroſolymitanus in Epiſtola Synodica apud Photium Cod.231. Bibliothecæ, & Patres ſextæ ſynodi generalis act.8.S.Dionyſiũ Epiſcopum Athenienſem & martyrẽ, non Pariſiẽſem vocent; at Epiſcopũ poſt ſuam tranſlationem non à prima, ſed à ſecunda ſede appellari traditio Eccleſiæ eſt. Deinde ex Hil-

duino (si sibi cōsentiret) qui Græcos auctores de Dionysii Areopagitæ obitu nihil tradidisse scribit; tum ex Hincmaro citata iam epistola, vbi Romani à Gallis, & à Romanis Græci Dionysianæ vitæ notitiam consecuti sunt. Quod verò Romanæ sedis attestatio in sola Bibliothecarii authoritate sistat, manifestè liquet, tum ex eo quod Martinus Papa in Conc. Lateranensi, Agatho in epistola ad Constantinum Imperatorem, Adrianus primus in scripto ad Carolum de colendis imaginibus, Dionysium Atheniensem Episcopum non Parisiensem appellent cōtra Episcopalis translationis consuetudinem, si quam olim factam fuisse nouissent: Deinde ex eo quod Pelagius 2. Epistola 1. & Stephanus 6. epistola quoque 1. necessariam Episcoporum de vna sede ad aliam migrationem tractantes, & exemplis B. Petri & aliorum confirmantes de Areopagita verbum nullum fecerint, cum tamen nulla vnquam fuisset facta translatio illustrior, nulla inter disiunctiores ciuitates memorabilior, nulla tandem ad asserendam primis sæculis Romanorum Pontificum auctoritatem potentior; Quam quæso te cur Gelasius 1. & alii Romani Pontifices omisissent, vbi suam in

Orientales potestatem vindicarunt? Deniq; ex eo quod Martyrologia & diuina Romanæ Ecclesiæ Officia Dionysium Paris. ab Athenienſi perpetuò distinxerint. Gallicana verò contestatio vnicum, vt iam constat, & nono isto specimine magis constabit, principem habet Hilduinum, qui & tunc quibusdam aliis facilè imposuit, in ea potissimùm quæstione, quæ populi res nouas amantis fauorem plausumque allectaret. Adhæc, quàm parum castè integréque versatus sit Hincmarus in hac causa, docet fabulosissima, quibus vtitur, beati, vt vocat, Sanctini gesta; Atqui cum non Africano solùm Canone & Capitulari Caroli Magni, sed & sola lectione refellantur, ea huc referre & refellere non oportet. Recentiorum Areopagiticorum alter hæc gesta prætermisit, consultiùs facturus, si pleraque alia prætermisisset: Alter insuper habito librorum & auctorum delectu, ne tanta probatione careret, cupidissimè retinuit. Quinetiam is est, qui credat se sciuisse, quod collega nesciret. Sed βέλτιον ἀγνοεῖν καλῶς, ἢ εἰδέναι κακῶς.

42 2. Prodeat Folcardus Monachus S. Bertini in vita S. Audomari Morinensium Episcopi cap. 6. *Igitur*, inquit, *plebs Taruanensis*

menſis licet longè ante eius (Audomari *) aduětum à beatiſsimi martyris Dionyſij ſociis Fuſciano, & Victorico Verbum Dei accepiſſet eo tempore, quo egregius Chriſti martyr Quintinus apud Ambianenſes prædicabat.* At Fuſcianum, Victoricum & Quintinum ad Maximiani tempora pertinere quis negauit hactenus? Vidit ergo Folcardus Fuſciani & Victorici hiſtoriam, in qua duodecim Chriſti athletarum caput erat noſter Dionyſius. In exemplari, quod ille habuit, nondum erat Eugenius, quem corruptores neſcioqui in Dionyſii noſtri locum ſuffecerunt. Hanc autem hiſtoriam in Pariſienſi Eccleſia publicitùs olim lectam fuiſſe oſtendimus num. 10.

3. Teſtetur Notkerus Monachus S. Galli in Martyrologio ſuo: 5. Non. Octobr. 43.
Natiuitas S. Dionyſij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo ad fidem deductus, etiam primus Athenarum Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Adriano Principe poſt clariſsimam confeſsionem fidei, & grauiſsimorum tormentorum genera martyrio coronatus eſt. 7. Idus Octobr. *Apud Pariſium paſsio Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij Presbyteri, & Ruſtici Diaconi. Qui B. Epiſcopus à Pontifice Romano cauſa peregrinationis (* prædicationis*) in Gallias directus Pa-*

risiorum ciuitatem deuenit, vbi per aliquot annos miraculis fidem confirmantibus cum ad viam veritatis populos conuertere satageret, à Præfecto comprehensus cum Rustico & Eleutherio martyrio coronatus est. Hæc ex Notkero adferimus non eo tantùm consilio, vt nostram de duobus Dionysiis traditionem confirmemus, quæ tamen ex deriuatis maiorum in Martyrologii vsus verbis apprimè confirmatur, sed vt & Hilduini & sectatorum identidem configamus ἀνακολουθίαν, qua statim atque suis in chartis missum à Clemente Dionysium offendunt, Areopagitam inde fuisse concludunt. Etenim cum corruptam Memmij Catalaunensis Episcopi vitam non accuratè expenderet Notkerus, ad Nonas Augusti legi scripsit, *Memmium, Dionysium & aliosquosdam ab Apostolo Petro in Gallias destinatos fuisse.*

44 4. Prodeat qui iam prodiit Fulbertus Carnotensis antistes in hymno de S. Piato. *Tornacum versus Piatus se direxit inclytus, cum Parisius iret B. Dionysius.* Infra. *At Cæsar Maximianus, vt Piati hausit famam virulentis auribus, comprehendi iussit eum ad necandum protinus.* Cum Fulberto prodeat Calendarium Manualis Carnotensis editi Lutetiæ anno 1604. vbi sic habetur 5.

Non. Octob. *Dionyſii Epiſcopi & martyris.* 3. *Lect.* 7. Idus Octobr. *Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij Mart. duplex.* Prodeat & aliud ibidem editum anno 1490. vbi ſic legitur, 5. Non. Octobr. *Dionyſij Epiſcopi*, 7. Idus Octobr. *Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij Martirum.* Prodeāt & alia, vnde iſta in lucem prodiêre. Mirus eſt in Fulberto recentiorum Areopagiticorum anteſignanus, qui velis remiſque contendit, in ea fuiſſe Fulbertum hæreſi, vt Dionyſium Pariſem eundem eſſe cum Areopagita crederet. Atenim quibus tandem rationum momentis? vnica, ſed vt auctori videtur, palmari: *Nempe quod Robertus Galliæ Rex cuius Fulbertus fuit Conſiliarius, & Cancellarius Pariſienſem Dionyſium eundem eſſe crediderit, atque Areopagitam.* Ita, me Deus adiuuet, per tres ferè paginas ratiocinatur. Nos verò exemplum in differendo non bonum ſequi ſi liceret, modò diceremus, Pariſienſem Dionyſium Roberto Regi eundem non fuiſſe cum Areopagita, cùm, vt perſpicué conſtat, Dionyſius Pariſienſis Fulberto non fuerit idem, qui Areopagita.

5. Teſtetur Letaldus Monachus in prologo vitæ S. Iuliani Cœnomanenſis. *Sunt nonnulli, qui dum attollere ſanctorum facta ap-* 45.

petunt, in lucem veritatis offendunt, quasi sanctorum gloria mendaciis erigi valeret: Infra. *Dicenda ergo cum veritate sunt, quæ veritas gessit, quia si aliquis patrum aliquod dicitur fecisse miraculum, non illud homo, sed Deus operatur*, & post alia. *Porro cum B. Dionysius à S. Gregorio* (Turonensi) *ex eorum numero fuisse dicatur, & in gestis gloriosi patris Iuliani cum eodẽ sancto Dionysio ad Gallias prædicaturus venisse narretur, non dubium æstimo, quin sub Decio, Valeriano, Gratoque Coss. & Sixto Romanæ Sedis antistite fuisse monstretur.* Quàm, Deus immortalis, diuersus est ab Hilduino & Hilduini Discipulis Letaldus. Infinitæ orationis argumentum exhauseris si quæ præfatur omnia Letaldus, seriò animaduertas.

46 6. Legatur Martyrologium S. Martini Turonensis: Calend. Octob. *Ciuitate Tornaco passio S. Piatonis Presbyteri, qui cum B. Dionysio Episcopo, suisque sociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis causa expetiit*, &c. vt supra 5. Non. Octobr. *Natalis B. Dionysij Episcopi & Martyris, qui post clarissimam cõfessionem fidei*, &c. vt supra 7. Idus Octob. *Apud Parisium Natalis beatorum martyrum Episcopi, Rustici Presbyteri, &* Eleutherij *Diaconi: Qui B.* Episcopus *à Pontifice Roma-*

no in Gallias prædicandi gratia directus præfatam Vrbem deuenit, &c. vt supra.

7. Videantur duo Martyrologia Suessionensis ciuitatis, vnum S. Petri, alterum S. Crispini Maioris, in quibus sic habetur: Calend. Octobr. *Ciuitate Tornaco, passio S. Piatonis Presbyteri, qui cum B. Dionysio Episcopo eiusque socijs ab Vrbe Roma Galliam prædicationis causa expetiit*, &c. vt supra 5. Non. Octobr. *Natalis B. Dionysii Episcopi, & martyris, qui post clarissimam confessionem fidei*, &c. vt supra 7. Idus Octobr. *Apud Parisius Natalis sanctorum martyrum Dionysii Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutheris Diaconi: Qui B. Episcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus præfatam Vrbem deuenit*, &c. vt supra. Ceterum Suessionenses Ecclesiæ festum habent plurium sanctorum, quorum reliquias Niuello Suessionum Episcopus Constantinopoli suscepit anno Christi 1205. & inter has reliquias è veteri Processionali Ecclesiæ B. Mariæ Suession. numerantur, *capita sanctorum Thomæ, Thadæi Apostolorum, Iacobi martyris, Dionysii Areopagitæ.* Cum nulla fraudis occurrat suspicio, & qui Dionysii Areopagitæ caput dederunt, & qui receperunt, Areopagitam in Oriente mor- 47

tuum credidêre, nisi fortè diuulsum à corpore caput Monachi S. Dionysii Constantinopolim miserint aliquando.

48 8. Audiatur Martyrologium vsui Monasterii S. Martini de Campis accommodatum, in veteri eiusdem Bibliotheca: Calend. Octobr. *Ciuitate Tornaco passio S. Piatonis Presbyteri, qui cum B. Dionysio Episcopo, eiusque sociis Galliam prædicationis causa expetiit,* &c. vt supra 5. Non. Octobr. *Natalis B. Dionysii Episcopi & martyris, qui post clarissimam confessionem fidei,* &c. vt supra 7. Idus Octobr. *Apud Parisiacum* (Parisium) *Natalis sanctorum martyrum Dionysii Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi: Qui B. Episcopus à* Pontifice *Romano in Gallias prædicandi gratia directus præfatam Vrbem deuenit,* &c. vt supra.

49 9. In medium proferatur Martyrologium S. Victoris Parisiensis. Calend. Octobr. *Ciuitate Tornaco natalis S. Piatonis, qui cum B. Dionysio Episcopo, eiusque sociis ab Vrbe* Roma *Galliam prædicandi causa expetijt,* &c. vt supra 5. Non. Octobr. *Natalis B.* Dion*ysii Episcopi & martyris, qui post clarissimam confessiorem fidei,* &c. vt supra 7. Idus Octobr. *Apud* P*arisius Natalis sanctorum martyrum* D*ionysii Episcopi,* R*ustici* P*resby-*

teri, & Eleutherij Diaconi: Qui B. Episcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus præfatam Vrbem deuenit, &c. vt ſupra.

10. Producatur Martyrologium illud, quod in Breuiario Ordinis Fratrum Prædicatorum Pariſienſium deſcriptum eſt anno 1254. Calend. Octobr. *Tornaco paſsio S. S. Piatonis Presbyteri, qui cum B. Dionyſio Epiſcopo, eiuſque ſociis Galliam prædicationis cauſa expetijt*, &c. vt ſupra 7. Idus Octobr. *Natalis Dionyſii Epiſcopi & martyris, qui poſt confeſsionem clariſsimam fidei*, &c. ſupra 7. Idus Octobr. *Apud Pariſium natalis ſanctorum martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi: Qui B. Epiſcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi cauſa directus præfatam Vrbem deuenit*, &c. vt ſupra. 50.

11. In auctoritatem admittatur Martyrologium Eccleſiæ S. Sepulchri Pariſienſis: Calend. Octobr. *Ciuitate Tornaco paſsio S. Piatonis Presbyteri, qui cum B. Dionyſio Epiſcopo, eiuſque ſociis ab Vrbe Roma Galliam prædicandi cauſa expetijt*, &c. vt ſupra. 5. Non. Octobr. *Natalis B. Dionyſii Epiſcopi, & martyris, qui poſt clariſsimam confeſsionem fidei*, &c. vt ſupra 7. Idus Octobr. *Apud Pa-* 51.

risium natalis sanctorum martyrum Dionysii Episcopi Rustici Presbyteri & Eleutherij Diaconi : Qui B. Episcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus præfatam vrbem deuenit, &c. vt supra.

52. 12. Euoluatur Calendariũ antiqui Breuiarii ad vsum cuiusdam, ni fallor, è secunda Belgica Ecclesiæ, quod in Bibliotheca Dominicanorum Parisiensium hodiéque asseruatur : ibi duo distincti Dionysii, distinctáque officia consignantur : 5. Non. Octobr. *Dionysii martyris memoria* 7. Idus Octobr. *Dionysii sociorumque eius martyrum, duplex.*

53. 13. Adferatur aliud Calendarium Antiphonalis Ambianensis, quod extat Lutetiæ in collegio Choletæorum : 5. Non. Octobr. Di*onysii Areopagitæ fit*, & hic nigro signatur charactere. 7. Idus Octobr. D*ionysii martyris, sociorumque eius*. Et isti rubro notantur charactere.

54. 14. Examinetur Martyrologium illud quod iussu Ludouici Parisiensium antistitis Ioannes noster Muneratus Theologus Parisiensis edidit Lutetiæ anno 1490. *Ciuitate Tornaco paßio S. Piatonis* Presb*yteri, qui cum B.* Dion*ysio* Epi*scopo, eiusque socijs ab vrbe Roma Galliam prædicationis gratia expetijt,* &c.

&c. vt supra 5. Non. Octob. *Natale B. Dionysii Episcopi & martyris, qui post clarißimam confeßionẽ fidei,*&c. vt supra. 7. Idus Octobr. *Natale SS. Mart. Dionysii Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi: qui B. Episcopus à B. Clemente Papa in Gallias prædicãdi gratia directus præfatam Vrbem deuenit,* &c. vt supra. Hic editor ex vulgi credulitate Clementis nomẽ, quod vt iam obseruauimus num. 31. in exemplari suo, id est, Ecclesiæ Parisiensis desideratur, addidit, haud aduertens, Dionysium Piatonis comitem à Clemente non potuisse mitti, & Dionysium, cuius natalis sit 5. Nonas, Areopagitã esse.

15. Proponatur martyrologium Rotomagi excusum anno 1507. & ad exemplaria Lugduni, Papiæ, & Parisiis aliàs edita recensitum. Calend. Octobr. *Tornaco passio S. Piatonis Presbyteri, qui cum B. Dionysio Episcopo, eiusque sociis ab Vrbe Roma Galliam prædicationis gratia expetijt,* &c. vt supra. 5. Non. Octob. *Natale B. Dionysii Episcopi & martyris, qui post clarissimã confeßionẽ fidei,* &c. vt supra. 7. Idus Octob. *Natale sanctorum martyrum Dionysii Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherij* Diaconi: *Qui B.* Episcopus *à B. Clemente* Papa *in* Gallias *prædicandi gratia directus præfatam Vrbem deuenit,* &c. vt supra 55.

Huius recensiti Martyrologii auctorem decepit Muneratus, & iisdem rationibus deceptio configitur, & propagatæ traditionis veritas constabilitur. Indignum quippe facinus est, antiquis scriptoribus falsas affingere sententias, quod sine crassæ ignorantiæ culpa, aut fraudis suspicione fieri nec solet, nec potest.

56. 16. Huc aduolet Ordinarium Ecclesiæ Narbonensis, quod Tolosæ typis mandatum est anno 1545. In illius Calendario hæc legant Areopagitici. 5. Non. Octobr. *Dionysij Areopagitæ Episcopi, & martyris 3. lect.* 7. Idus Octobr. *Dionysij, Rustici, &* Eleu*therij martyrum 9. lect.*

57. 17. Sistat se in iudicio Manuale Ecclesiæ Venetensis in Armorica, quod Veneti anno 1596. excusum est, & vtrum illius Calendarium à Narbonensi reipsa diffideat, expendatur? 5. Non. Octobr. *Dionysii Episcopi & martyris commem.* 7. Idus Octobr. *Dionysii sociorumque eius martyrum sem.*

Verumenimuero quid varias Galliarum
58. Ecclesias percurrimus, cum & sancti Dionysii monasterium, & Parisiensis Ecclesia in suis Martyrologiis hoc ipsum cumulatissimè testantur, quod ab aliis assertum, & omnibus retrò sæculis retentum volumus?

Sed quoniam quod ab aduerſariis veritatis pro veritate argumentum ſumitur, firmiſſimum haberi ſolet, expendamus iterum verba martyrologii, quo monaſterium S. Dionyſii Philippo Pulchro Rege vtebatur: prima die Octobr. *Ciuitate Tornaco ſancti Piati, vel Piatonis Presbyteri, qui cum B. Dionyſio Epiſcopo, eiuſque ſociis ab Vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetijt, ac poſtea conſummato martyrio migrauit ad* Dominum. Tertia die Octobr. *Natalis B. Dionyſii Epiſcopi, & martyris, qui poſt clariſsimam confeſſionem fidei, poſt grauiſsima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides, vir fide ſapientiaque mirabilis in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit.* Nona die Octobris. *Apud Pariſium natalis ſanctorum martyrum Dionyſii,* &c. *Qui B. Epiſcopus à Pontifice Romano in Galliam prædicandi gratia directus, præfatam vrbem deuenit,* &c. vt ſupra. Tuos hîc tantùm oculos quæro. Hæc ergo eſt priſca maiorum noſtrorum de duobus Dionyſiis traditio, quæ à prima ſui origine per canales quamlibet impuros, ad poſteriora tamen ſæcula deducta eſt. Aliunde nobis non erãt argumenta quærenda, nec arma ſumenda, quibus Areopagiticorum inſidias, & præ-

ſtigias vinceremus. Eſt proculdubio quædam veritas tam perſpicua, vt eam nullæ perſonarum locorum-ue præſtigiæ poſſint obruere. Hîc vt de ceteris non loquar, ad initam Dionyſii Epiſcopi cum Piatone ſocietatem, quis non videt, volaticas illas interpretationes, quibus vnius & eiuſdem ſancti Dionyſii feſtiuitatem diuerſis diebus agi volunt, infeliciter perire?

Quod autem ſpectat ad Eccleſiam Pariſ.
59. duo illius Martyrologia vidimus, vnũ ſatis vetus, alterum recens anno 1448. deſcriptum, quod ſingulis diebus publicè recitatur. Ex primo hæc excerpſimus. Calend. Octobr. *Ciuitate Tornaco paſsio S.* Piatonis *Presbyteri, qui cum B. Dionyſio* Epiſcopo, *eiuſque ſociis ab Vrbe Roma Galliam prædicationis gratia expetijt, ac poſtea conſummato martyrio migrauit ad Dominum.* 5. Non. Octobr. *Natalis B. Dionyſi Epiſcopi & martyris, qui poſt clariſsimam confeſsionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides Athenienſis vir fide ſapientiaque mirabilis in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit.* 7. Idus Octobr. *Apud Pariſium natalis ſanctorum martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici Presbyteri, &* Eleutherij *Diaconi: Qui B. Epiſcopus*

à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus præfatam vrbem deuenit, vbi per aliquot annos commissum sibi opus fideliter prosequens, tandem à præfecto Fesçennino vna cum socijs gladio animaduersus martyrium compleuit. Hæc eadem quoque verba ex secundo martyrologio ante delibauimus, quàm illi vis vlla inferretur. Fuit igitur, qui ante annos non multos clam Ecclesia Parisiensi, cum hanc Dionysiorum distinctionem molestè ferret, ex 7. Idus Octobr. hęc verba deleuit: *Apud Parisiũ natalis sanctorũ martyrũ Dionysii Episcopi:* & hæc alia in illorũ locũ substituit, sed in inferiori margine descripta: *Lutetiæ Parisiorum natalis sanctorum martyrũ* Dionysii *Areopagitæ*, tum lectorem notulâ quadã monuit, vt reliquum ad contextum rediret. Sed quoniam vir incallidus non expunxit, quæ Calend. Octobr. de Dionysio Episcopo S. Piatonis comite, & quæ 5. Non. de Areopagita dicuntur, inde ἀναχρονισμῷ martyrologiũ corrupit, hinc Areopagitæ geminam mortem publica martyrologii recitatione affinxit. Proferat nunc Hilduinus, proferant Hilduini defensores aut Sandionysiacum, aut Parisiense martyrologium aliquod vetustius, & eos tum demùm audiemus. Vel semel tam li-

beraliter nobiſcũ agant Areopagitici, & in vnam breui eamdemque ſententiam deſcẽdemus. Sincerè quęrimus veritatem, nec vllam adinueniendæ veritatis viam auerſamur. *Melior eſt* nobis cum B. Augustino *vera ſtipula, quàm lux inani cogitatione pro ſuſpicantis voluntate formata.* Nos interim animo fingamus in terras redire Hilduinum, & ab eo ſciſcitemur, quid tandem perluſtratis Gallicanarum Eccleſiarum, & maximè Pariſienſium, atque adeo Monaſterii ſui martyrologiis, & Calendariis, quid inquam, dicturus ſit aliud poſt octingentos annos pręter illud ipſũ, quod olim ante alios octingentos pronuntiauit? *Notitiæ beatiſſimi Dionyſii* (Areopagitæ ſui) *modica apud Latinos ſeruabatur obtecta.* Hîc igitur poſt editas tot Eccleſiarum, & maximè Pariſ. origines, poſt aſſertam de duobus Dionyſiis per ſuas leges traditionem Hilduinus cũ ſuis quid reſponſurus ſit neſcio. Nullum reſponſum præter vnum honeſtè dabit, quod fortaſſis nunquam dabit.

60 QVOD AVTEM ſpectat ad ſecundũ obſeruationis caput, quo dictum eſt, omnẽ ab Hilduino ſuperioribus verbis ademptam eſſe licentiam adferendi, quæcunque ex corruptis quorundam Martyrum hiſto-

riis adferunt Hilduini ſectatores, apparet eos id facere non poſſe, niſi Monachi ſe ſuo Abbate ſuperiores oſtentent, & Diſcipuli ſupra Magiſtrum ſeſe arroganter attollant: Atque ad extremum vtrique minus caſtè in hac cauſa, minuſque integrè quàm Hilduinus verſari velle credantur. Quid verò memorem eas omnes Martyrum hiſtorias, quibus octingentis abhinc annis vis illata eſt ab Areopagiticis, quid, inquam, memorem, cum multa ſuperſint adhuc non ſine diuino conſilio harum hiſtoriarum exemplaria, quæ corruptrices manus effugerunt. Ex quo fit, vt exempli gratia, quædā SS. Luciani, Reguli, & Eugenii geſta eoſdē martyres ad Domitianū reuocent, quædam alia ad Diocletiani & Maximiani Imperium vt antiquiorem ac proinde veram epocham deducant. Quam geſtorum diſſonantiam, ne periret aliquando, Gallicanum Martyrologium poſteritati conſecrauit. De Eugenio iam iſtud obſeruauimus, num. 22. De Luciano & Regulo nunc obſeruemus: ad 8. Ianuarii: *Lucianus Dionyſio Pauli Diſcipulo iungitur, & ſub Clemente venit in Galliam.* Ad 30. Martii: *Regulus Ioannis Euangeliſtæ Diſcipulus. in Galliam cum Dionyſio Areopagita venit.* En Lucianus &

Regulus ad Domitianum reuocati, nunc demittuntur ad Diocletianum & Maximianum. ad 25. Octobr. *Crispinus & Crispinianus cum beatis Quintino Luciano, Rufino, Valerio, Eugenio, Suessionem venerunt tempestate Diocletiani & Maximiani.* Ad 14. Iunii. *Rufinus & Valerius vna cum Crispino, & Crispiniano, Quintino & Luciano, aliisque sex æquè ingenuis commilitonibus Roma in* Gal*lias profecti.* At vnus ex aliis sex. numeratur Regulus, vt notatum est num. 10. & 22.

61. Porrò non melioris sunt notæ alia quatuor, quæ in medium proponunt, Martyrologium Hieronymi, seu potius Eusebii, quod est in Abbatia Corbeiensi: Gesta Dagoberti Regis à coætaneo scripta: Monasterium Græcorum Romæ ab Stephano Papa conditum in honorem Areopagitæ, & Vita S. Genouefæ, quæ est in Cod. M.S. sancti Victoris. Singula expendamus licèt quæ expendantur, indignissima sint, vt constabit.

62. Martyrologium illud Hieronymi, seu potius, vt aiunt, Eusebii, quid habet, quod testatissimæ nostræ traditioni aduersetur? Vnicum fortassis ad 7. Idus Octobr. Dionysium? quid inde? erit-ne idcirco Areopagita

pagita

pagita? Ita est, inquiunt, quia Areopagita 5. Non. Octobr. non comparet, verum id quidē, sed sexcentis aliis in martyrologiis comparet. Deinde nusquam opinor fuisset Dionysius Parisiensis, si ad 7. Idus Octobr. in hocce martyrologio non extaret? Denique martyrologium illud, quod religiosi iuxta & eruditi viri beneficio legimus, quia Hieronymum, Augustinum, Gregorium primum, Leodegarium, Dedicationem Corbeiensis Ecclesiæ continet, an sit Eusebii vel Hieronymi, vt maximè volunt, nobis adhuc valde inexploratum est. Ad hæc quî fieri potuit, vt in hoc martyrologio Eusebius vel Hieronymus 5. Non. Maij notet *Inuentionem sanctæ crucis Domini nostri Iesu Christi ab Helena regina, post passionem Domini anno 233. regnante Constantino Imperatore?*

Gesta Dagoberti Dionysium à Clemente missum, non Areopagitam, nisi ex solita Hilduinianę dialectices regula produnt. Illa verò ab æquali, scripta negamus ex cap. 43. *Idcirco*, inquit auctor, *ad obitum ipsius* (Dagoberti) *describendum vertens articulum, quod in ipsa infirmitate positus gesserit, & vnum quod in quadam vetustissima charta reperi, quā, vt ferebatur, B. Audoenus Episcopus scripse-* 63.

rat, breuiter narrabo miraculum. At certè charta illa nulli vetustissima esse potuit, nisi qui diu multúmque post Dagobertũ vixerit. Hæc gesta ex tabulario sancti Dionysii profecta, cum non viderit Hilduinus, Hilduino posteriora esse non abs re coniicies. Mitto fabulas, quibus illa Dagoberti gesta fœdissimè interseruntur.

64 Ad monasterium Græcorum Romę ab Stephano conditum accedimus, cuius narratio vltima pars est illius Relationis, quæ factam Stephano Papæ reuelationem, & Altaris in monasterio S. Dionysii consecrationem, in honorẽ SS. Petri, Pauli, & Dionysii continet. Sed tota illa Relatio suspecta videri posset, 1. quia Anastasius Bibliothecarius in vita Stephani cum refert, quomodo ægrotauerit in monasterio Stephanus, & qua ratione conualuerit ex insperato, de tota hac reuelatione, de consecratione altaris, de reliquiis S. Dionysii in Vrbem delatis, nihil omnino dicit, cum tamen dicendi sese obtulerit occasio, & nihil aliunde foret in vita Stephani memorabilius. 2. Hilduinus, qui vndequaque dubia & falsa inseruit Areopagiticis, cur rem tanti momenti, quæ supra ceteros monachis S. Dionysii nota esse debuit, præter-

misisset? 3. cum hæc relatio ad Hilduini causam spectet, nec ex alio loco, quàm ex archiuis monasterii primùm prodierit, in eodem, sicut & multa alia, confictam esse nõ inuerisimile est Sed vera sit Relatio hac in parte: De monasterio, quod Romæ constructũ volunt ad sãctos Martyres in schola Græcorum appellatum, sic se res habet ex Anastasio in vita Pauli, & Nicolai primi. Paulus in sua propria domo Monasterium à fundamentis ędificauit ad honorem duorum Sanctorum, quorum vnus est Stephanus Papa & Martyr, alter Siluester Papa & Confessor: Intra claustra monasterii Ecclesiam affabrè factam excitauit, vbi monachorum congregationem constituit, qui ad Græcam modulationem psalmodiæ vacarent. An autem monachi natione Græci, vel Latini forent, nihil à Paulo decernitur. Hoc porro monasteriũ ita finitimum erat Basilicæ S. Dionysii Confessoris, vt ex illo per gradus ad istam ascenderetur. Quia verò in Ecclesiasticis Officiis, seu cœtus canentium, seu locus, vbi canitur, schola cantorum appellatur, hîc in Ecclesia intra hocce monasterium conditâ, schola cantorum, qui Græco modulamine canerent, breuitatis ergo schola Gręcorum nuncupa-

ta eſt. Ex his igitur, quæ vera eſſe docet hiſtoria temporis, ſimul confuſis, & ex aliquibus aliis fraudulenter additis, conflatum eſt totum illud, quod modò ab Areopagiticis tam magnificè iactatur. De ſuo imprimis addiderunt inchoatum ab Stephano monaſterium, quod ex Anaſtaſio Paulus Stephani ſucceſſor à fundamentis erexit, nempe vt Stephani in Galliam profectioni, & recuperatæ apud Sandionyſiacum monaſterium valetudini, additum vero falſum quadraret. Deinde Dionyſium, cuius Baſilica monaſterio vicina erat, ex Confeſſore martyrem fecerunt, eumq; Areopagitam, qui à Clemente in Gallias miſſus eſt. Tum hunc ita comparatum Dionyſium arrepta viciniæ occaſione monaſterio addixerunt, vt in eo cum duo ſancti Martyres forent, Monaſterium ad ſanctos martyres appellarent in ſchola Græcorum. Deinde ſub hac generali ſanctorum martyrum nomenclatione, & ex ſcholâ Græcorum perperam acceptâ, Romæ exædificatum in honorem Dionyſii Areopagitę, Ruſtici, & Eleutherii monaſterium aſſeruerunt. Quod tanquam verum non operosè perſuasum eſt iis, qui Hilduino & Hincmaro faciles aures accommodarunt.

Ad extremum Hilduini ſectatores non 65.
difficiliùs potuerunt Romani huius monaſterii, quàm Eccleſiæ *ſancti Stephani de Greſſibus* titulum, & primigeniam appellationem Lutetiæ immutare. Quæ enim Eccleſia à prima ſui origine in omnibus Eccleſiæ Pariſienſis monimentis *S. Stephani de Greſſibus*, appellata eſt, non ante multos annos *de Græcis* appellarunt. Huic autem ſi primæuę nomēclationi fidē facit charta Simonis de Bucciaco Pariſienſis Epiſcopi ſcripta anno 1290. vbi Eccleſiam *S. Stephani de Greſsibus* legere licet. 2. Alia charta anno 1331. data, vbi prærogatiuæ Capicerii S. Stephani continentur, ibique laudatur Iacobus quidam Capicerius *S. Stephani de Greſsibus.* Hoc recentiorum Areopagiticorum alter vidit, & deditâ operâ prætermiſit, dum chartam hanc ferè totam ex ſcriberet, & veterē traditionem pluribus paginis inobſcuraret: Heu priſca fides! 3. Charta Exceptionum quas Monachi S. Dionyſii aduerſus Pariſienſium Canonicorum rationes dederunt ea in lite, quæ tempore Gerſonis ſuper aliquam Dionyſiani capitis partem inter eoſdem Monachos & & Canonicos mota eſt: *Item Decanus & Capitulum producunt clauſulam ex libro Chroni-*

corum haustam, in qua sic habetur: tunc inuentæ sunt Parisius in Ecclesia S. Stephani de Gressibus reliquiæ, &c. 4. Vbicumque in Commentariis Parisiensis Ecclesiæ occurrit collatio Præbendarum huius Ecclesiæ, in iis semper nominatur *Ecclesia S. Stephani de Gressibus*. Infinitum esset loca Commentariorũ singula recensere. Ex Areopagiticorũ parte res sic se habet: Ex Gallico nomine, quod huic orationi, *de Gressibus*, respondet, ante oculos obambulante Areopagiticæ missionis idolo, nouum nomen Latinum formarunt, vt & sibi in suis ablandirentur opinionibus, & imperitæ plebeculæ fucum facerent, atque adeo Hilduinianæ causæ patrocinarentur. Verum ista per me liceāt iis Areopagiticis, quorum delicatæ mentes hoc ciborum genere pascuntur.

66 Quod autem pertinet ad historiam S. Genouefæ, quam ex Codice Victorino vetustissimam iactitant, anno quippe 18 post illius obitum scriptam, in eâ Areopagiticorũ nostrorum fidem & acumen appello, fidẽ iterum, atq; iterum fidẽ, & acumen appello. Qua enim paginâ S. Genouefæ synchronysmũ auctor affectat, quem de suo Genesium sincerissimè nominant, eâdem & se impostorem tradit Philippo Augusto po-

ſteriorem. *Humata eſt*, inquit, *in Baſilica in monte ſita iuxta nouæ mœnia Pariſii.* Hîc ſiue nouæ Pariſii mœnia, ſiue noua mœnia Pariſii legas, perinde eſt. At Philippus Auguſtus noua illa mœnia primus ædificari iuſſit, vt Rigordus & ipſe Monachus S. Dionyſii ſcribit in vita huius regis ad annum 1211. *Anno eodem*, inquit, *Philippus Rex magnanimus totum in circuitu ſepſit à parte Auſtrali vſque ad Sequanam fluuium, ex vtraque parte maximam terræ amplitudinem intra murorum ambitum concludens, & poſſeſſores agrorum & vinearum compellens, vt terras illas & vineas ad ædificandum in eis nouas domos locarent, vel ipſimet nouas ibidem domos habitatoribus conſtituerent, vt tota ciuitas vſque ad muros plena domibus redderetur.* 2. ſub initium hiſtoriæ: *Licet certum diem natiuitatis illius* (Genouefæ) *Ignoremus, tamen conijcimus ex hiſtorijs veterum*: At quę amabo vos, veterum hiſtorię poterant homini inſeruire, qui B. Genouefæ coætaneus erat. 3. Circa medium: *In Namnetodorenſi pago benedictione populo data* (à S. Germano) *& manus celebrata miſsione, quæ ſolis Epiſcopis competit, de qua Cyprianus & Cornelius Apoſtolicus altercati primū, deinde ſibi conſentientes eiicit Cyprianus* (vt) *ſecundū auctoritatē*

Euangelicam manus missio celebraretur. Et post alia: *obsessionē Parisius per bis quinos, vt aiunt, annos à Francis perpessa est.* Videsis quodnam genus ineptiarum & impostura-rarum nugiuēdus iste nobis exponit, quem tamen synchronum auctorem, eumque fi-cto nomine Genesium appellant? Porro his nugamentis, quæ obiiciunt Areopa-gitici, & quę retulimus, caret vita S. Geno-uefę quam Ioannes Textor anno 1521. edi-dit è Nauarra sua Paris. ad calcem Iacobi Bergomensis de Claris Mulieribus. Nonne congruentius esset, & honorificentius hæc omnia ab Areopagiticis prius expendi, quā coniici in Commentarios suos, vnde postea magno cum auctorū dedecore explodātur? Nonne desperata illa causa est, quæ vt de-fendatur, falsariorum artibus indiget? Præ-terea qui testimonium ex hac S. Genoufæ historia, tam impotenter, vt videmus, pro-ferunt, vel illam integram legerunt, vel non legerunt, si primum in se recipiant, quo animi candore, prout Christianum tractatorem decet, agere cum cordatis ho-minibus, & rem seriam tractare se credunt, & credi volunt? si secundum admittant, qua fide, qui recentissimus est, vetustissi-mum, qui inquinatissimus, incorruptum Codicem

Codicem, & auctorem beatę Genouefæ coætaneum appellant? quasi verò ex corruptâ historiâ, germana & vera addensatis per plures paginas verborum struicibus, & sublatis ad cœlũ clamoribus effici possit?

Obiiciunt & adhuc incerta quædam Eutropii martyris gesta: sed eorum discussionem, quæ vix modesta esse quiuisset, lubentissimè prætereo Areopagiticorum famæ consulturus. Nam qui se omnium ludibrio tradere vellet, hoc non assequeretur feliciùs, quàm si cordatis hominibus persuadere contenderet, Eutropium genere Persam à B. Petro in Gallias missum, deinde nullius voti compotem factum rediisse Romam, tum inde anno Christi 99. cum Dionysio Areopagita in Gallias reuersum, deinde anno 103. passum, & acta Passionis à S. Dionysio græcè scripta, & ad Clementem, qui iam anno superiori obierat, directa, & ab eodem Clemente deinceps in Græciam transmissa, tum denique Constantinopoli longo post tempore inuenta à Guidone Viennensi Episcopo, & in Latinum traducta. In his & paribus testimoniis, quæ contra Canonem Africanum, & Capitulare Caroli Magni congerunt, famam & operam cur Areo- 67.

pagitici vindices profundunt? Ad hæc ſanè tam miſerabilia perfugia qui deſcenderint, , licet in ore vulgi, & aſſeclarum ſuorum volitent, proſtrati tamen, deſpecti ab eruditis hominibus, à ſeipſis, ni fallor, deſperati & relicti ſunt. Verum Areopagiticorum quidam, vt aliis tenebras offundant, pleraque ex his teſtimonia in quarundam Eccleſiarum Breuiariis legi clamitãt, atque in clamoris ſui defenſionem Eccleſias illas velint nolint oppigneraro conantur. At fruſtra, cum ex his non ſemper pro hiſtoricę rei veritate argumentum efficax duci poſſe docuimus ex ipſarum Eccleſiarum praxi, quę ſua Breuiaria identidem corrigunt. Deinde has tenebras diſpellit illuſtre ſidus Scholæ Pariſienſis Gerſo noſter in Declaratione veritatum, quæ credendæ ſunt: *Reſpicit autem*, inquit, *iſte gradus legendas & miracula ſanctorum, vitas patrum, viſiones deuotarũ perſonarum, recitationes & opiniones ſacrorum Doctorum. Quæ omnia ſuſcipit Eccleſia, & legi permittit, non quod determinet talia de neceſſitate ſalutis eſſe credenda, ſed quia proficiunt ad cõmouendos affectus pios fidelium, & in ædificationibus ipſorum, dum in talibus nihil de certitudine ſcitur eſſe falſum, quãuis etiam neſciatur illud certitudinaliter eſſe*

verũ, quod oportet, nec vt tale credendũ propo- nitur : ita quod magis hîc attenditur id, quod pia recogitatione fieri potuit, quàm illud, quod fa- ctum eſt, &c. Hæc cum ita ſint, peſſimè omnino de Eccleſia merentur, qui quod nonnullorum de Eccleſia hominum eſt, immaculatę Eccleſiæ tribuunt, vt ſe im- maculatos præſtent, vt quæcunque dicunt, ex oraculo dici putentur, & vt quæcunque ſcribunt, certiora eſſe affirment, quàm ea, quæ apud Sagram acciderunt. Atque vt in vno pro multis nunc exemplum ſtatuatur, quis Pariſienſi Eccleſię, & Academiæ in- ſuper Pariſienſi, quæ ſingulare Eccleſiæ Pa- riſienſis ornamentum eſt, tribueret, quod in illius Breuiario anno 1636. edito legi- mus de Regulo Siluanectenſi? Ad 23. quip- Aprilis pe, canunt Regulum Ioannis Euangeliſtæ Diſcipulum, à Clemente cum Areopagita miſſum, & ad 10. Decembris recinunt eundem ſub Diocletiano in Galliam acceſ- ſiſſe. Quis quæſo, vt vnius, aut alterius ho- minis tueretur ἀβλεψίαν, in huius rei præſi- dium Eccleſiam, & Academiam Pariſien- ſem oppigneraret?

68. Denique ab Areopagiticis laudantur permulti ſcriptores, qui rem ab Hilduino traditam potius receperint, quàm cum

aliud fortè agerent, ex certis inueniendi ueri regulis sedulò examinarint. At *in his*, inquit Baronius ad ann. [illegible]6. *quæ rerum gestarum veritatem spectant, quàm frequenter accidit falli etiam prudentissimos non in antiquis tantummodò, sed & in his, quæ facta esse dicuntur in eodem loco: quo ipsi sunt, & quo viuunt tempore: ob idque nihil est, vt quantauis sanctitate, siuè sanctitatis, siue doctrinæ cuiuslibet prærogatiua viri, quod nòn factum vnquam, quod factum est, aßerentis, ipsi veritati posit præiudicium inferre. Cum in his, quæ sunt facti, non dogmatis potuerit quisque sanctissimus, atque doctissimus fidei orthodoxæ professor, atque defensor aliquando falli. Nec enim eminentia alicuius viri efficere potest, vt quod mendacium est, veritas sit, & quod perinde, ac verum ab eo falsum assertum est, recipiatur ab omnibus. Sed & accidere solet interdum, vt aliquid vulgo allatum si, quis certos velit examinare testes, an verum, sit neminem id seriò testantem inueniat, fiatque, vt quod ab omnibus dici iactatur, asseratur à nemine, rumorque ille euanescat in auras.* Ita proculdubio fiet de auctoribus, qui ab vtroque Areopagitico recentiore laudantur. Si quis enim eos omnes examinare velit quæsiturus, vnde ortum habet, quod dictum est ab iis omnibus, id ab vnico

Hilduino, id eſt, à nemine ortum habere comperiet.

At ſaltem, inquis, ex horum auctorum 69. numero eximenda eſt Florentina ſynodus, vbi pro aſſerenda Spiritus ſancti proceſſione laudatur à Metaphraſte ſcripta B. Dionyſii vita. Quid tum? Ideone à Patribus diſputatum, an idem Dionyſius Pariſienſis Epiſcopus atque Areopagita? quaſi verò eam ob citationem Concilium probaſſet, quicquid in ea vita ſcripſit Metaphraſtes? Crede igitur inter cætera ex auctoritate Concilii Lutetiam mari adiacere, cum iſtud non minus probetur à Concilio, quàm quod Dionyſius Pariſienſis fuerit Areopagita. Ego verò hæc & ſimilia Concilio tam leuiter tribuere religioni penitùs haberem.

Ceterũ quæ in hoc de Areopagiticis Hil- 70. duini iudicio examinauimus, ad duo generalia capita reuocata ſunt, in vno, cui duplicem partem fecimus, falſi dicam ſcripſimus Hilduino, atque illum in auctoribus cùm iis, quos laudat, & qui legi poſſunt, tum in aliis proinde, quos laudat, & qui legi non poſſunt, hominem eſſe profligatæ fidei conuicimus. In altero, quod in capita nouem, ſeu Hilduinianæ diſſertationis

ſpecimina diſtribuimus, Abbatem noſtrum multiplicis falſitatis, inconſequentiæ, inconſiderantiæ, & nouitatis reum peregimus. In primo productis veteribus Martyrologiis, quibus Eccleſia Pariſienſis hodiéque vtitur, & Monaſterium S. Dionyſii ante annos trecentos vtebatur, Hilduini, qui vetuſtiſſimas Monaſterii ſui, & Pariſienſis Eccleſiæ chartas laudabat, impoſturam, vel certè Hilduini ſucceſſorum ab eodem defectionem in omnium oculis defiximus. In ſecundo & alibi paſſim aperuimus Hilduini, & Diſcipulorum inconſequentiam, qua ſimulatque neſcioquibus in chartis miſſum à Clemente Dionyſium nanciſcuntur, eum Areopagitam eſſe ſubtiles Dialectici colligunt. Perinde quaſi nullus potuiſſet à Petro, vel Clemente mitti Dionyſius præter Areopagitam. In tertio Hilduinum in citandis Innocētio Gelaſio, & Gregorio Pontificibus malæ fuiſſe fidei oſtendimus, & perpetuum inſuper in Eccleſia Romana de vtroque Dionyſio diſcrimen agnitum probauimus vſque annum 1550. à quo deinceps tempore Pariſienſis, & Areopagita in vnum confuſi ſunt, non Eccleſiæ quidem Romanæ iudicio, quod abſit, ſed à quibuſdam de Eccleſia

Romana hominibus, queis nos incõmodè occurrisset effatũ illud Sixti Papæ in alia licet materia dictũ, & in Concilio Ephesino receptũ: *Nihil vltra liceat nouitati, quia nihil adÿci conuenit vetustati.* In quarto duos Eugenios, qui opera Monachorum S. Dionysii in vnum coaluerant, ex certis monimentis distinximus, vnum Presbyterum Parisiensem & martyrem, alterum Episcopum Toletanum & Confessorem; res vnicuique suas reddidimus, ac tum in Eugeniana Monasterii S. Dionysii historia verum à falso excreuimus, quibus eã, & quo tẽpore acceptam fecerint, sincerè exposuimus. In quinto Hilduinum sua ipsiusmet contradictione inuoluimus, & productum ab eo Constantinopolitanum Martyrologium in caput eiusdem, & exitium repercussimus. In sexto alios in citandis auctoribus accusare falsi non potuit Hilduinus, qui huius ipsiusmet criminis toties conuictus est. In septimo Hilduinus in allegatione Fortunati fucum fecit, & passus est, nec Monasterii sui tabularium dignum esse, cui crederetur, ostendit. In octauo ex quatuor Dionysii vitæ, quam scripsit Hilduinus, fragmentis, omnem eidem abiudicauimus auctoritatem, & fidem. In epigraphe vitæ Diony-

siani prænominis, & agnominis insulsitatem, & inauditum primis Ecclesiæ sæculis *Archiepiscopi* titulum vidimus. In adlocutione Clementis otiosum sermonem deprehendimus. In Lutetia Castellum & oppidulũ ad amplissimæ ciuitatis, & Emporii imaginem deformatum conspeximus, & eidem præterea sub Domitiano tributum, quod Carolo Magno & Ludouico Imperatoribus possideret. In Casula Rustici, & Dalmatica Eleutherii ignoratam ab Hilduino Ecclesiasticam harum vestiũ institutionem, & vsum redarguimus. In nono detraximus siparium, quod cuiuslibet nouę opinionis auctores sibi, suisq; scriptis sẽper obtenderunt, quo etiam illud nescio quid, quodcũque proferunt, neque primi neq; soli dixisse videantur. Etenim cum ex Hilduino *modica Dionysii seruaretur obtecta cognitio*, hinc latissimam accusandæ nouitatis viam aperuit, inde ad ea vindicanda, quæ post Hilduinum conficta recentiores Areopagitici nunc referunt, aditum interclusit. In primo discrimen ante Hilduinum inter vtrumque Dionysium in Ecclesiæ Romanę, Anglicanæ, Gallicanæ, & præsertim Parisiensis traditione tam planum fecimus, quàm quod planissimum. Vsuar-

dus

dũ & nobis & ſuo monaſterio Pariſ. contra alios aſſeruimus, in quo reprehenſũ aliud nihil eſt, niſi quod laudari debuit, deriuata nempe in Martyrologij Codicem maiorum, quos citauimus, traditio & fides. Gregorium Turonenſem ab inconſequentibus effugiis defendimus: Vbi & quam ex eo ſperauerant Areopagitici victoriam, Cadmea longè deteriorem ſenſerunt. Deinde poſt Hilduinum nouam illius opinionem, nihil in Eccleſia Romana, ſi huc reuocetur, quod dictum eſt num. 13. obtinuiſſe vidimus vſque ad annum 1550. Vbi & quid Hincmarus per Græcam teſtificationem, Romanæ ſedis atteſtationem, & Gallicanam conteſtationem ſibi voluerit, aut velle debuerit, epochis omni Termino immobilioribus circumſcriptum eſt, tum denique perſeuerantem in Eccleſiis Gallicanis, & maximè Pariſienſibus, & Monaſterio S. Dionyſii traditionem oculis ipſis ſuppoſuimus. In ſecundo propter Hilduinum diſpunximus ὀψιμαθίαν Sectatorum Hilduini, & tamen mantiſſæ loco Martyrologiũ Euſebii ſeu Hieronymi, Geſta Dagoberti Regis, Romanũ Græcorũ Monaſteriũ, Vitã S. Genouefæ, ideſt, quicquid oſtentant ſpecioſius, retulimus reuoluimus repulim⁹. Ex quo col-

ligi nō difficilè poteſt,vt quæ vera traditio eſt,&certis explorandæ verę traditionis legibus aſſerta, vera traditio ſemper habeatur; Quæ autem falſa, & certis explorandæ falſæ traditionis legibus aſſerta, falſa quoque traditio ſemper æſtimetur. At qui ſciens volenſque aliter de traditionibus diſſerit, non amat Dei Eccleſiam, cuius *verax ſemper eſt*, ut ait Facundus lib.5.cap.1. *pro veritate defenſio, nec vnquam fuit indiga falſitatis.* Vno verbo ſeipſum vaniſſimè quærit, non veritatem.

76. Quæ cum ita ſint, noſtrum de Areopagiticis Hilduini Iudicium capita duo concludunt. In vno primis abhinc ſæculis vſque Carolum Magnum conſtantiſſima de duobus Dionyſiis traditio ſeruata eſt, & Hilduinianæ opinionis poſt octingentos annos defixa nouitas, quæ nunquam inde refigetur, niſi ſubdititiis,& fictis in Monaſterio S. Dionyſii chartis & verſibus veritas accommodetur. In altero caſſus & inanis euictus eſt labor Hilduini, & Sectatorum eius; Hilduini quidem, cum poſt ipſum Eccleſia Romana, Gallicana, & maximè Pariſienſis veterem in ſuis Martyrologiis,& alibi traditionem retinuerint; Sectatorum verò, cum in citandis neſcioquibus

fabuloſis otioſorum hominum hiſtoriis operam, & ſinceritatem perdidêre.

Cur autem hoc iudicium non ad omnium, ſed ad paucorum, qui & priuati amici ſunt & docti viri, conſcientiam peruenire volui, fecit primùm ipſa rei ipſius veritas, quæ quo illuſtrior, eo grauius odiũ parit, odium verò & immaniorem Argiuâ calumniam accerſit, & argumenta non ad inquirendam, vt par eſt, veritatem, ſed ad concitandam apud incautos & populares inuidiam depromit. Deinde fecit & B. Auguſtinus Epiſtola 119. ad Ianuarium ſcribens, qui cap. 19. *Propter nonnullarũ vel ſanctarum, vel turbulentarum perſonarum ſcandala deuitanda* liberius improbare non audebat, quæ non poterat approbare. 72

Vide tu nunc ac circũſpice, an rei Chriſtianæ ſeruiãt, qui vindicatæ traditioni reſiſtũt, qui duos Dionyſios, duoſque Eugenios in vnum confundunt, qui quod vnius eſt, alteri tribuunt, qui quod neutrius eſt, conflato ex vtroque vni aſſerunt, qui Africano Canoni, & Carolino Capitulari non obtemperantes Somnia, & Incertas Sanctorum Memorias in auctoritatem admittunt: Vide inquam, ac circumſpice, an illi gratum aliquid Deo & ſanctiſſimo Martyri faciant? 73

Magnũ virum audi precor ſuper hac re Damianũ qui noſtrã diſſertationẽ ſua, qua non ſemel vtitur, in vitam S. Mauri præfatione concludet. *Cupientes*, inquit, *aliquid ſcribere ad gloriam Dei noſtri de B. Mauro* Pontifice *ſic auditorum deſiderio ſatisfacere cupimus, vt iuxta digeſtæ relationis modum veritati per omnia conſulamus. Contemnendus quippe pincerna eſt, qui dum vini copiam iactat, fæcem quoque punienda temeritate propinat. Improbus oppipator eſt, qui tanta ambitione aliјs conuiuiũ præparat, vt in ſemetipſum æſtuantis famis incendium ſæuire permittat. Temerarius nihilominus narrator eſt, qui dum laudum præconiis alios extollere nititur, ipſe mergi in falſitatis barathrũ non veretur. Nonnulli enim ſe Deo deferre existimant, ſi ad deferenda laudis eius inſignia, falſitatis argumenta componant, qui nimirum ſi egregiј Prædicatoris verba diligẽter attenderent, talia non ſentirent.* Ait enim Corinthiis: Si Chriſtus nõ reſurrexit, inanis ergo eſt prædicatio noſtra, vana eſt fides veſtra. Inuenimur autẽ & falſi teſtes Dei, quoniã teſtimoniũ diximus aduerſus Deũ, quod ſuſcitauerit Chriſtũ quẽ non ſuſcitauit. *Secundũ hæc ergo Apoſtolica verba falſus teſtis Dei meritò dicitur, qui indiſcretè eum cupiens laudare mentitur, & aduerſus Deum proculdubio perhibet teſtimoniũ,*

quisquis in eius laude peruersa, molitur arte commentum, & post pauca. *Hinc est, quod per Hieremiam de mendacibus dicitur:* Docuerunt linguas suas loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt. *Qui enim simplicem veritatem vltrò oblatam proferre facilè poterant, satagunt, vt mendacia cum labore confingant*, & post alia. *Hîc autem vbi de B. viri virtutibus pauca, quæ scribi debeant, præsto sunt, vtilius arbitramur ad ædificationem audiëtium, ad quam omnis Ecclesiastica intendit scriptura, in proœmio contra mendacium scribere, quàm pro narrationis inopia ipsam historiam mendaciorum finibus protelare.*

FINIS.

S. Paulus 2. ad Thessalonicenses 2.

Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.

S. Hieronymus in Præfat. lib. 5. in Hierem.

Veritas claudi & ligari potest, vinci non potest, quæ & suorum paucitate contenta est, & multitudine hostium non terretur.




LEGATORIA di LIBRI
DI
GIOVANNI CAVALLI
ROMA
Via Viminale N.° 18



